5. 6. 38

PHILOSOPHIA MENTIS

SIVE

METAPHYSICAE INSTITUTIONES.

VOLUMEN PRIMUM.

Digitized by Google

PHILOSOPHIA MENTIS

SIVE

METAPHYSICAE INSTITUTIONES

STUDIOSIS

SEMINARII ARRETINI

JUVENIBUS ACCOMMODATAE

AUCTORE

P. FRANCISCO MARIA

A SANCTA THERESIA

EX ORDINE CARMELITARUM EXCALCEAT.

ATQUE

IN EODEM EPISCOPALI SEMINARIO

UNIVERSAE PHILOSOPHIAE PROFESSORE.

ARRETII MDCCLXVII.

Typis Michaelis Bellotti Impreſſoris Epiſcopalis.

PRAESIDUM PERMISSU.

Digitized by Google

Eſt enim illud quidem maximum animo ipſo animum videre. M. T. C. Lib. I. QQ. Tuſc. Cap. XXII.

An animantium generi, quod irrationale appellatur, nulla omnino data ratio ſit, ſane dubium eſt. Nam etſi caret ea, quae in voce verſatur, quam ſermonem nominant, quae tamen animo concipitur, quam ratiocinium dicunt, ejus fortaſſe particeps omne genus animalium eſt; quamquam aliis parcius, aliis liberalius tributa ſit. Galenus Orat. Suaſor. ad Artes Cap. I.

Deus non alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quaedam & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens, ipſaque praedita motu ſempiterno. M. T. C. Lib. I. QQ. Tuſculan. Cap. XXVII.

STUDIOSAE
SEMINARII ARRETINI
JUVENTUTI.

AUCTOR FELICITATEM.

QUum primum de Metaphyſicis Inſtitutionibus ad Vos, Solertiſſimi Juvenes, habere tractationem ex inſtituto decreveram, quaedam continuo animum meum moleſta adorſa eſt cogitatio, ut parum abfuerit, quin aut ab incaepto vos edocendi ardore deſerberem, aut ſepoſito calamo penitus a propoſito mihi conſilio obeun-

 do

do deflecterem: Adverſa illa Metaphyſices opinio nimirum in cauſſa fuit; qua per ſummum dedecus a rudibus & imperitis nobiliſſima haec ſcientia hodierna tempeſtate tanquam, ut moleſtiſſima, impervia, undique tenebris obſita; ita inutilis plane, umbratilis, (proh nefas!) & liberali homine indigna traducitur. Re equidem vera, quidni voſmetipſi etiam intimo ſenſu experimini tantum penes vos praejudicatam id genus valere ſententiam, ut non abſque horrore a quopiam Metaphyſices *nomen proferri patiamini, eoſque, qui de illius praeſtantia, vel utilitate diſſerunt, incredibili pene moerore averſemini? Quae profecto, quum ita eſſe mente complectens, atque ingenii mei exiguitate omnia perluſtrans ſenſerim, neutiquam dubitavi ita huc vires conferre omnes, ita manus conſerere, ut ab ingenuo quopiam ſcientiarum amatore atque a ſelectiſſima Lycei hujus Juventute perniciosiſſima & ſtulta haec opinio, aut radicitus evelleretur; ſi fortaſſe adhuc mentibus inſideret veſtris; aut illam intra loci hujus dignitatem nullibi conſiſtere obtinerem. Ego vero non ita rem in propatulo exponam uſitatis dicendi*

prae-

Digitized by Google

praeſidiis fultus, quemadmodum Oratores atque Poetae facere conſueverunt; qui, poſteaquam conſtitutae ſibi Quaeſtioni confirmationis ope fidem fecerint, ſatis ſe praeſtitiſſe arbitrantur, quin opere ullo aut experimento dicta confirment; quod hoc ipſum a quocumque oratoriae artis apparatu alienum exiſtiment; verum ſic opinionem perperam lateque dominantem aut imminuere rationum vi, aut profligare conabor, ut tamen ipſa methodo, nec incompta rerum & rite contexta tractandorum diſpoſitione, tum maxime ſolida eorundem gravitate, majorique qua valuimus perſpicuitate Metaphyſices noſtrae, quum utilitas, tum neceſſitas mirum in modum eluceſcat.

Quae itaque facultatis hujuſce pretium extollunt ab ipſa primum nomenclatura dicendi vim mutuantur: Enimvero Metaphyſica, *ſi nomen latine interpretari velimus*, Scientia *merito nuncupari uſuvenit* ſupra, *vel* praeter Phyſicam; *quod nimirum ea ſolum Metaphyſicus contempletur, quae univerſam adſpectabilium rerum compagem; circa quam attentiſſime occupatur Phyſicus; tranſcendunt, eaque ipſe excelſa mentis per-*

ſpicacia a reliquis in materia, ſeu alia quapiam corporea ſubſtantia permixtis atque locatis, ſecernit. Ex quo ſatis patere non dubito quantum haec caeteris praeſtet eruditorum hominum diſciplinis, quae cuncta deſerens corpore ſeu materia concreta, ea ſolum ſpectare cupiat, in quibus percipiendis tota ſpiritalis ſubſtantiae acies vigere & diſtineri neceſſe ſit.

In qua praeterea doctrina, quum non ipſa ſolum tradi ſoleant, quae a corpore per abſtractionem, *ut ferunt, a Metaphyſico avulſa quodammodo expenduntur* (*quemadmodum in* Ontologia, *ubi in* Entis realis *affectionibus, differentiiſque perſcrutandis verſatur*)*; verum etiam de animae humanae indole ſeu natura, de ejus viribus, proprietatibus, deque mirificis demum illius functionibus permulta diſſerantur; incredibile pene dictu eſt, quantopere ipſe animus exultet noſter, in quantum cogitandi faſtigium evehatur, quo tempore quid ipſemet ſit, quid valeat, quantum terrenis ipſe praecellat intento ſtudio occultoque ſui conatu, atque intuitu contemplatur.*

Neque

Neque vero hujuſmodi, tametſi ſublimia & homine acuto quaepiam perſpiciente vere digna jure haberi debeant, arbitrandum eſt in hac ſcientia principem eminentioremque obtinere locum, quin praeſtantiora plurima hiſce non immerito praehaberi neceſſe ſit. Illa inquam eximia, quae Dei Opt. Max. exiſtentiam, Naturam, Providentiam, caeteraque ſupremi ejuſdem Numinis ſpectant attributa; quaeque a Metaphyſicis, tum preſſo argumentorum robore, tum evidenti ratione; quantum hominum patitur ingenium; demonſtrantur. In quibus profecto expediendis verſandiſque Diſputationibus, neminem renuere poſſe confido, quin Metaphyſicae hanc laudem, quemadmodum a Sapientiſſimis omnibus accepimus, velit tribuere; quod illa ſcilicet non injuria Sapientia *ſit nuncupanda; ſublimium nempe altiſſimarumque rerum Scientia atque eruditio.*

Caetera praetereo, quum pulcherrima, & apprime delectabilia, tum aeque illuſtria, quae ad hanc mentis Philoſophiam referri a Tractatoribus conſueverunt; ut inde mihi ad inſtitutae demonſtrationis exitum quam cito aditus pateat.

Itaque Diſciplinae hujus noſtrae utilitas; tametſi ab ejus praeſtantia excellentique majeſtate ſejungi non facile valeat; per ſe ſe nihilominus ſpectanda modo nobis eſt; utpote quae ex earum rerum ſit numero, quae vehementius in ſui deſiderium ſolent homines permovere. Nihil eſt ſane illuſtre ac praeſtantiſſimum, nihil excelſa majeſtate praeditum & ingenita nobilitate praeclarum, quod ſui magnitudo ipſa non commendet exiſtimationemque conciliet, quod venerabundos ſaltem, & attonitos in ſe intuentes non efficiat: At quae utilia & bonorum feraciſſima ſunt, nemo eſt profecto, qui non dulcius extollat, nemo qui conceptis verbis non avidius exoptet, atque ut iiſdem potiatur majori contentione non laboret. Quamobrem mihi ſtatim, quum in hiſce Metaphyſices Studiis permagna utilitas ab unoquoque aucupanda ſe ſe offerat, non equidem video, cur aut in ea tam deſides exiſtant nonnulli, qui caeteroqui litterarum amore flagrare videntur, aut audeant alii illius vituperatores inveniri. Enimvero unaqueque Scientia, quae ſive humanis ſive divinis initiata eſt inſtitutis atque dogmatibus, earum rerum,

quae

quae vel fuerunt, vel ſunt, vel quae eſſe demum poſſunt, veluti fundamentis innixa ſubſiſtit: ſuis praeterea legibus unaquaelibet diſciplina (ſive Philoſophia, ſive Theologia, ſive Juriſprudentia, ſive Medicina, ſive alia quaepiam ea ſit) ſuiſque peculiaribus monitis & axiomatibus conſtat; quorum praeſidio, vel ad latentem veritatem detegendam progrediatur, vel ad eandem auditoribus exponendam comparetur: Quae ſane omnia, ut a Profeſſoribus ſuis neceſſe eſt ſingillatim animo haberi comprehenſa, ita etiam ex ſuis remotioribus fontibus ea ipſa derivata cognoſci. At vero in juris civilis ſcientia ex. gr. *quis vere peritus optimeque excultus dici poterit, qui non ipſe perinde calleat quid* Ens *quid* non Ens *ſit, quantum deinde ipſum late pateat; quid* Bonum *praeterea, quid* Verum, *quid* Unum, *quid* Poſſibile, *quid contra* Impoſſibile, *quid* Neceſſarium, *quid* Contingens *ſit prorſus ignoret? Neque hic profecto integer ſubſiſtit Ontologicarum notionum a Juriſperito quopiam addiſcendarum cumulus: Etenim* Eſſentiae, Exiſtentiae, Relationis, Subſtantiae, Cauſae, Effectus, *aliorumque*

id

id genus perſpicuae exploratacque cognitiones ejus Artis Conſulto praeſto eſſe debent: Quaecumque demum in ſua Diſciplina ſunt peculiarius pertractata, atque ad rem ſuam accommodata, eadem ipſa ab eodem Studioſo Viro ſubtilioris acutioriſque adſpectus luce ſpectari una debent, & abſtracte, *ut ajunt, mente verſari. Quoties autem de iisdem abſtractis notionibus ſermonem ibi neceſſario redeundum eſſe comperiet, ex quibus tota Quaeſtionis alicujus tum cognitio, tum ſolutio pendeat, omnemque vim mutuetur? Quemadmodum ergo neminem exiſtere patet, qui vita ſe gaudere gloriari jure valeat, atque inter animantes recenſeri, niſi praecordiorum motum, niſi reſpirationem comitem ſentiat, niſi aeque illius venae & arteriae perpetuo ſanguinis curſu irrorentur & fluxu; ita neminem etiam aut Juriſconſulti munere rite fungi poſſe reor, aut alia quapiam peculiari excellere diſciplina, niſi in* Ontologiae *prius officina fuerit expolitus, omneſque illius theſauri in ejus ſint poteſtate. Nullum ergo exinde ambigere poſſe confido, quin ſibi permagna* Ontologiae *utilitas ad omnes ſcientias futura eſſe debeat,*

beat, eamque experimento ipſo teſtatam pernoſcere, ſi neglectis nebulonum quorundam inaniſſimis ſuaſionibus, non ingenti exiſtimatione ſolum bujuſmodi ſtudium proſequatur, verum etiam animum vireſque ingenii applicet univerſas.

Neque vero, non qui Ontologiam *contemnere ſe ſimulant, illius commoda intelligunt; ſed quod aſſequi poſſe deſperant invidioſe vituperare malunt, quam ingenue de imbecillitate ſuarum virium confiteri. Tantum itaque abeſt de latiſſima* Entis *materia differentes, in una nos earum rerum ſubtilitate verſari, iiſque velle otioſe ſolum delectari, ut contra eam tractemus Artem, quae, tametſi omnem bumani ingenii aciem ſibi vendicet, jure nibilominus caeterarum artium Parens foecundiſſima ea ſit appellanda. Itaque boc nos inter & alios intereſt de re quapiam ſcriptores, quod alii, quorum licet uno aliquo de genere tota ſit diſputatio, ab* Ontologiae *tamen notionibus mente verſandis, & ſaepe conſulendis nulla valent ratione diſpenſari; nos vero a nulla diſciplina quidquam mutuemur (non a Tbeologia, non a Phyſica, non a juris Civilis ſcientia); quinimo uni-*

ver-

verſis hiſce dominemur, neve ipſae abſque Ontologiae *noſtrae inſtitutis procedant, legibus ſupremis quibuſdam caveamus. Itaque caeterae artes, etiamſi ingentem principiorum ſuorum ſummam teneant quam docent, aliarum omnium expertes omnino habeantur; non ipſae tamen ſufficere poſſe ſuo muneri exiſtimantur, niſi univerſam* Entis *doctrinam perſpectam prius habuerint, familiarem, ut vulgo ajunt, atque exploratam: Noſtra demum haec ſcientia una eſt jure meritoque praedicanda, quae nativa ſui ubertate reliquarum dignitatem utilitatemque tanquam in ſuo ſinu foveat, atque perpetuae earundem conſervationi conſulat & incremento. Merito proinde factum puto, ut praeſtantiſſima haec Metaphyſicae Pars* Philoſophia Prima *ab omnibus idcirco appellaretur; ſive quod caeteris Philoſophiae partibus ſublimior ſit, ſive (quod veroſimilius eſt) quod principia, quibus caeterarum diſciplinarum veritates innituntur, illa una exhibeat atque demonſtret; tantique haberetur, ut nemo vere philoſophus, aut in alia quapiam diſciplina ſatis excultus poſſet inveniri, niſi ab hoc veri totius primitivo fonte multo ante*

hau-

hauſiſſet. Recte proctерea Vir eruditiſſimus Joannes Baptiſta Vicus (a) illud apprime verum eſſe, *inquit*, quod Metaphyſica (*nempe Ontologia*) ſit omnis veri fons, & unde in alias ſcientias omnes derivatur: *Quare illud etiam legitime inſtitutum exiſtimo, ut quibuſcumque Philoſophiae ſtudium auſpicantibus omnium prior a ſapientiſſimis Praeceptoribus haec* Entis *doctrina eſſet ad diſcendum propoſita, ne ſi ejus, quae reliqua eſt, Phyſiologiae forte pertaeſi, ad alias diſciplinas comparandas vellent contendere, id ſaltem ex* Ontologia *didiciſſent, quod eſt in unaquaque ſcientia maximopere, ut diximus, perutile ac neceſſarium. Deſinant igitur, deſinant iſti ſubtilioris Metaphyſicae obtrectatores inania prorſus effutire: Comprimant vocem ſtultitiae atque invidentiae indicem. An forte ipſi putant pro agreſti & hebeti plane eorum ingenio de iis ſe poſſe rite judicare, quorum ne primoribus quidem labris ſaporem deguſtarunt aut delibarunt? Quidni potius ideo iſta blaſphemare jure ſint praeſumendi, quod ut in aliis opti-*

(a) Lib. I. *de antiquiſſima Italorum Sapientia* Capit. IV. §. 1.

optimis artibus oleum & operam contriviſſe compererunt, ita multo minus in acutiſſima hac Phyſiologiae Parte aliquid ſe aſſequi poſſe deſperaverint?

Satis ita me, pro noſtra brevitate, de Ontologiae *utilitate loquutum fuiſſe confido; tametſi ampliora permulta, & graviora ad fidem faciendam, atque ad adverſarios ſuos paucis retundendos, validiora afferre poſſemus: Quae profecto; temporis habita ratione; nobis aeque praetermittere libuiſſet, niſi haec* Metaphyſices *Pars majori rationum vi indigere ac fulciri debere viſa eſſent.* Speramus autem; *utar ego appoſite hic Viri Clar. Nicolai Concinae verbis* (a) tandem aliquando factum iri, ut noſtrates quoque juniores reſipiſcant, & non modo amoeniorum litterarum & eruditionis, ſed etiam ſcientiarum amore flagrantes, ſummam videant ad omnia prorſus genera doctrinarum *Ontologiae, ſive Philoſophiae Primae, atque univerſalis* neceſſitatem; quemadmodum eam perviderunt innumeri Tranſalpini, & pauci quidam Itali ſapientiores. *Si itaque reliquae Nationes, ex tota qua la-*

(a) *Oratione habita in Gymnaſio Patavino* an. 1734.

late patet Europa, tantam ad omnigenam ſcientiarum varietatem in Ontologiae *ſtudio utilitatem perſpexere, cur nos ipſi in meridiano litterarum ſplendore ſoli caecutire velimus, prorſus ignoro.*

Neque tamen haec precipua ſunt eorum bonorum, quae ex Metaphyſices ſtudio percipiuntur: Sunt alia longe majora, longeque ad vitam honeſte traducendam aptiora. Metaphyſica; *atque ea praeſertim de animae humanae natura & praeſtantia diſſerens; nativae excellentiae noſtrae contemplatione inditos nobis virtutis proſequendae igniculos excitat, atque ad mores pro dignitate tanta componendos occulto quodam intimae conſcientiae conatu perurget; contra vero luxuriantes quaſique fruticantes rationi adverſas cupiditates ſtringit atque coercet, eaſque aequitatis finibus ſtudet cohibere; proſperis in rebus ornamento eſt, ſolatio adverſis; neque illis cultores ſuos exſultare ac efferri, neque his frangi aut deprimi ullatenus ſinit; eam denique tranquillitatem animi efficit, quam multi finem bonorum eſſe dixerunt. Quid? Illa, quae in Metaphyſica* Pſychologia *inſcribitur, non memorata ſolum ſtudioſis ſuis*

com-

commoda parturire noſcitur, verum etiam Reipublicae tum Chriſtianae, tum Civili fructus affert ampliſſimos: Impia ſiquidem de animae materialitate, nec non mortalitate dogmata, aliaque nefanda pene abſque numero, quae ex iis ſponte fluunt, totidem veluti teterrima monſtra configit; eoſque, qui contra evidentiſſimam veritatem pugnare non dubitant, invicte repellit atque proſternit: Uno demum effato, quandiu Pſychologia *perſtabit, libertinorum audaciam ipſa confringet, Exlegum intemperantiam refraenabit, ac utroſque, vel ineluctabilis veritatis ſuae terrore, ſilere compellet.*

Obiter haec dixiſſe ſufficiat, ſeu potius adumbraſſe; quae tamen, nulla brevitatis habita ratione, fuſiori calamo enucleari fas erat; ut liquido admodum conſtare poſſet vel hebetioribus ipſis, tantorum bonorum copiam in uno Pſychologiae *ſtudio deliteſcere.*

Quamquam vero non uſque eo vituperatores Metaphyſices noſtros excordes fore autumo, ut de ingentibus Pſychologiae, *quemadmodum de* Naturalis Theologiae *fructibus, per ſummam ignorationem audeant ſuſpica-*

ſpicari: Id enim eſſet perinde, ac quod reliquum in ipſis eſt intimae conſcientiae rectaeque rationis lumen, aut hallucinatum, aut extinctum penitus arbitrari. Quapropter ſatis me pro Ontologiae *neceſſitate verba feciſſe contentus (quae ſua etiam ſpecie tenus uberiori dicendi ſtylo fulcienda videbatur) reliqua proinde ſapientiae noſtrae commoda, aut plerumque ſilentio praeterire aut levi duntaxat oratione elucubrari curavi. De Brutorum vero anima Diſſertatio, quae peculiari a nobis vocabulo* Pneumatologia *inſcripta fuit, tametſi nullam prima, ut ajunt, fronte utilitatem praeſeferre videatur, neque aliquid rerum graviſſimarum ſtudioſo Viro litterarii incrementi, in maximis hac ſuper re difficultatibus, poſſit afferre; ipſa nihilominus amoenitatis multum, & feſtivae eruditionis non parum in ſe habet, qua animus ſeriis demonſtrationibus, quum intentus tum diſtentus ex labore aliquantulum relaxetur.*

Quamobrem de ſupremae Metaphyſices Partis bonis acturus; de Deo nimirum, ejuſque attributis; praeter innumera, quae mihi ad dicendum pro illa ſe ſe offerunt; il-

 lud

lud cumprimis ſingulare, vobiſque peculiari ratione accommodatum mihi eſſe videor, quod in ipſa hujus ſcientiae cum rebus ad Religionem revelatam ſpectantibus finitima cognatione ſitum eſt. Quid enim Eccleſiaſticorum eſſe poteſt proprium magis, quam illos, antequam ad ſacrorum ſtudia ſe conferant, ea cuncta naturali ratione explorata habere de Supremo Numine Dogmata, quae ex revelatis fontibus ab Orthodoxis Theologis demonſtrantur? Equidem quaecumque a Theologis ipſis de divinis rebus diſputari ſolent, e Scriptura, e Traditione Eccleſiaſtica, ex Patrum doctrina potiſſimum depromuntur; ac ſi quid ratiocinationis rei probandae conſentaneum afferatur, hiſce modo commemoratis innititur totum, & a ſuis veluti initiis ad unguem perducitur. Hoc igitur a Metaphyſico Theologus in ſuis cudendis de Deo demonſtrationibus differre comperitur, quod huic revelata caelitus doctrina uti perpetuo propoſitum ſit, illi vero rationem naturalem ſequi ducem; reliqua etſi ex Chriſtiana Religione mutuata ab eo nullatenus efflagitentur: Niſi forte aut ingenii imbecillitas eorum ope ac lumine quandoque

ſit

ſit emendanda, aut qui Metaphyſici munere fungi videtur, Chriſtiani ſimul Doctoris officium velit obire. Attamen utra ſe ſe offerat de Deo ſermocinatio a permultis Clar. Viris, hodierna praeſertim tempeſtate uſurpata, permagni ſemper a cunctis Eccleſiaſticis habenda eſt; utpote quae de Supremi Ejus veri Numinis magnitudine differat, cui ſe totos mancipari decreverunt; quae de praecellenti illa demum agat doctrina, quam emenſo Philoſophicarum rerum curriculo, diu noctuque verſare debent, atque in maximis habere deliciis.

Quid reliquum eſt ergo, Spectatiſſima Juventus, ſingulare Eccleſiaſtici Ordinis Decus, inclytae hujus Urbis Ornamentum, atque Arretinae Matris Eccleſiae ſuique vere eximii Paſtoris optima Spes & Corona; quid inquam ex tot hactenus a me brevitatis ergo congeſtis ſupereſt reliquum, niſi firmiter adeo de Metaphyſices *quum praeſtantia, ac tum maxime, utilitate recte ſentire, ut nulla ſubleſtae orationis vi ab immota perſuaſione diſtrahi valeatis. Ego autem, quantum in me eſſe & poſſe ſentiam, nulla Vobis ſolertia, nulla vel methodi vel ſer-*

monis perſpicuitate defuturum polliceor, ut quae huc uſque dicendi ope pro indefeſſo Metaphyſices *ſtudio eſtis aſſequuti, Ejus reipſa ampliora poſtmodum commoda experiamini: Neque mehercle vereor, quin mihi in poſterum vera dixiſſe, teſtatum ſitis acturi.*

ME-

METAPHYSICES

PARS PRIMA.

ONTOLOGIA.

CAPUT I.

De Ente generatim inſpecto.

DE Ontologicis veritatibus quum primum diſſerturus aggredior atque operam impendere Studeo, tota penitus a mente veſtra hiſce in rebus inexperta ea diluatur caligo, qua Juvenes plerumque jejuni offundi, ac perterrefieri in ipſo cujuslibet ſcientiae limine & tyrocinio frequenti experimento cernuntur. Id genus Diſceptationes permultas equidem veritates complectuntur, (ne-

que hic de earum utilitate loquor) quarum ea eſt natura, quae cum reliquis veritatibus ſit aeque communis. Itaque ſi ad verum quodpiam adipiſcendum intimo quodam fervere & abripi motu, vobiſmetipſis fatentibus ſatiſque mihi aperte demonſtrantibus, experimini, haud ego ſane perciperem quanam demum ratione ab hiſce etiam comparandis altaque mente figendis modo abhorreretis. Certiſſime proinde perſuaſum vobis ſit in tota, qua late patet, Ontologia, eas duntaxat a me conſulto Propoſitiones fuiſſe ſelectas, quae ſemota quapiam arida, ut ajunt, ſterilitate, mentem veſtram proficua contemplatione occuparent, quaeque huic loco & tempori ſatis aptae & congruae ab omnibus haberentur.

SECTIO I.

De Entis Natura.

ENtis igitur generatim inſpecti notiones paucis quoad licebit exponemus; quanam ratione rebus convenire hoc nomen poſſit differemus: Quae omnia Syntheticâ ſemper methodo, nec non mathe-

ma-

matica demonſtratione, quum hic, tum per totum ubique Opus elucubrari curabimus. Antequam vero ad cujuslibet Propoſitionis demonſtrationem accedamus, ea perpetuo lege praemittenda nonnulla comparabimus, ut *Axiomata*, deinde *Definitiones* reliqua omnia antecedant. Quum itaque Propoſitionem propediem aſſerendam primo loco ſtatuere nobis merito viſum ſit; idcirco en

A X I O M A.

§. 1. *Fieri non poteſt ut idem ſimul ſit & non ſit.*

S C H O L I O N.

§. 2. Eam experimur mentis noſtrae naturam, ut dum judicat aliquid eſſe ſimul judicare nequeat idem non eſſe: Quocirca fit, ut intima compulſi conſcientia abſque demonſtratione concedamus hujuſmodi Propoſitionem terminis generalibus expreſſam: *Fieri non poteſt, ut idem ſimul ſit & non ſit:* Quod etiam principium Ariſtoteles, ac deinde Scholaſtici omnes, inſtar axiomatis maxime generalis, adhibuerunt. Recte propterea haec doctrina cum vulgato illo Carteſiano Enthymemate: *Ego cogito,*

ergo ſum, conciliari poteſt; quod nimirum nullus ambigere poſſit, ſe eſſe dum cogitat; quemadmodum nemini aeque dubitare licet aliquid aut non eſſe, ſi jam ipſum eſſe cenſuit; aut ex adverſo idipſum eſſe, ſi jam idem eſſe judicavit. Utrumque profecto axioma ex eo maxime tanquam primum cognitionis principium conſtitui debet, quod ipſum ſcilicet ita univerſale ſit, ut per aliud nequeat demonſtrari, per ipſum vero caetera axiomata, ſi ea negari contigerit, oſtendi valeant; ita etiam ex ſuis terminis manifeſtum appareat, ut in mentis noſtrae poteſtate non eſſe ſentiamus eidem utrique pertinaciter obſiſtere.

DEFINITIO.

§. 3. *Entis realis* nomine rem exiſtentem haudquaquam concipimus; ſed quatenus illud tantum attingimus, prout eſt aliquod, in quo nulla habetur contradictio, ſive ipſum ſuſtantia ſit, ſive modus.

COROLLARIUM I.

§. 4. Exiſtentia *Enti* negationem intrinſecae contradictionis nullatenus tribuit.

Co-

COROLLARIUM II.

§. 5. Quocirca id omne eſt *Ens*, quod mens attingit, quin pugnantia & contradictoria percipiat.

COROLLARIUM III.

§. 6. Percipi ergo recte poteſt *Ens* quodlibet, quin de ejus exiſtentia vel minimum cogitemus.

SCHOLION.

§. 7. Appoſite hic animadvertendum reor; mirum non eſſe videlicet, nos caeterorum Metaphyſicorum ductu & exemplo *Entis* notionem ab exiſtentia voluiſſe diſtinguere; tametſi penes Latinos Grammaticos pleroſque *Ens* ejuſdem ſit poteſtatis, quae apud Graecos ὀν, quod exiſtentiam ſignificat: Etenim aliae ſunt Grammaticorum, aliae Philoſophorum notiones, quas verbis copulare ſolent. Quam ob cauſam facile quoque explicatur quanam ratione Platonici vocabulum ὀν paulo ante memoratum cum emphaſi quadam adhibuerint; quod nimirum (quemadmodum ex Platone, Alcinoo, aliiſque ejus ſectae didicimus) eo tantum *Ens aeternum & immutabile* ſignificare voluerint: Ex quo & illud patet, cur Pla-

to mundana omnia *non Entia* appellaverit; eo quia haec cum ſupremo omnium *Ente* collata nullam ferme habere viderentur exiſtentiam.

PROPOSITIO I.

Unumquodque per id eſt Ens, per quod eſt id quod eſt.

§. 8. *Demonſtratio*. Unumquodque per id eſt *Ens* per quod eſt aliquod, in quo nulla involvitur contradictio (§. 3.) ſed id quod eſt, illud eſt, in quo ex ſui conceptu nulla menti objicitur contradictio: Ergo unumquodque per id eſt *Ens*, per quod eſt id, quod eſt.

Eadem Propoſit. Soritica methodo demonſtratur: Unumquodque per id eſt aliquid, per quod mens noſtra illud attingit quin pugnantia & contradictoria percipiat (§. 5.) Quod mens noſtra ſic attingit, aliquid intelligit quod eſt *Ens*; Quod eſt *Ens* illud eſt, in quo nulla habetur contradictio. (§. 3.) Ergo unumquodque per id eſt *Ens*, per quod eſt id quod eſt.

COROLLARIUM I.

§. 9. Cum rei cujuſque eſſentia ſit id, per quod res ipſa eſt id quod eſt, res quaelibet

libet proinde per ſuam eſſentiam eſt *Ens*: ſic homo per id eſt *Ens*, per quod eſt homo; homo namque per id eſt aliquod, in quo nulla habetur terminorum pugna, per quod eſt homo. Quare

COROLLARIUM II.

§. 10. Attributam *Entis* dicit in recto negationem intrinſecae contradictionis; totam vero rei eſſentiam in obliquo: Neque enim eſſentiae negatio intrinſecae contradictionis tribui poſſet, niſi prius illam ratione *Entis* haberet.

SECTIO II.

De non Ente.

QUemadmodum quid *Ens* ſit ſatis perſpicue, ut arbitror, a nobis eſt demonſtratum; ita veritatum tradendarum recta ſeries illud etiam videtur poſtulare, ut quid *non Ens* ſit aeque dilucide oſtendamus. Quare ſit.

DEFINITIO I.

§. 11. Illud a nobis pro *non Ente* uſurpatur, quod contradictionem complectitur: Ita hominem non eſſe, contradictionem hujuſmodi ex ſui conceptu illico explicat.

Definitio II.

§. 12. Dicitur praeterea *non Ens* illud, quod *nihilo* reſpondet: ſic hominem non eſſe, *nihilo* recte aequiparari poteſt.

Corollarium I.

§. 13. Quiſquis negativum *nihili* vocabulum profert, binas in mente notiones excitat; *Entis* nimirum unam, alteram vero negationis rei alicujus in eodem *Ente*.

Corollarium II.

§. 14. Itaque quiſquis affirmat *ex. gr. ante conditum mundum erat nihil*: notiones duas exprimit; mundi ſcilicet, & abſentiae mundi: Quemadmodum quum dicimus Chymeram eſſe *nihil*, menti tum *Entis* notio obverſatur, tum illa ſe offert, quae ipſam Chymeram ex *Entium* numero expungit.

Scholion.

§. 15. Quapropter eos turpiter ineptire puto, qui *nihilum* per vocabulum definiunt, cui nulla notio reſpondeat; aut qui *nihil* tunc vocant, quum in *nihilo* cogitando occupamur. Tam perſpecta horum habenda eſt hallucinatio, ut per ſe ſtatim corruat, neque ulla indigeat refutatione.

Pro-

PROPOSITIO II.

Unumquodque per id non eſt Ens, per quod non eſt id quod eſt.

§. 16. *Demonſtratio*. Contrariorum ea lex eſt & diſciplina, ut illa adverſa ratione inter ſe eadem ſint: Ergo unumquodque per id non eſt *Ens*, per quod non eſt id quod eſt.

Conſeq. oſtenditur: Unumquodque per id eſt *Ens* per quod eſt id quod eſt (§. 8.) Ergo a contraria diſciplina, unumquodque per id non eſt *Ens* per quod non eſt id quod eſt.

Deinde Soritica methodo idem probatur: Unumquodque per id eſt *Ens*, per quod eſt aliquod in quo nulla eſt contradictio (§. 3.) In eo vero, quod non eſt *Ens*, tota eſt contradictio (§. 11.) In quo tota eſt contradictio *nihilo* recte aequiparatur (§. 12.) Quod *nihilo* aequiparatur *Entis* negationem excitat (§. 13.) illud videlicet, quod non eſt: Ergo unumquodque per id non eſt *Ens* per quod non eſt id quod eſt.

Co-

Corollarium.

§. 17. Itaque *nihil* inter ea vocabula negativa recenſendum eſt, *quae* ut acute more ſuo animadvertit Clar. Lockius (a) *abſentiam idearum poſitivarum explicant*.

SECTIO III.

De Entium comparatione.

Satis de *Entis* eſſentia, ejuſque negatione metaphyſico more actum fuiſſe non dubito. Non abs re ergo poſitum fore arbitror, ſi nonnulla modo promantur, quae ad utriuſque notionis comparationem pertinent, ac illud quoque oſtendatur; quantum nimirum utrumque pateat, & omnia quodammodo permeare dignoſcatur. Sit itaque.

Definitio I.

§. 18. Ea inter ſe convenire dicuntur, quae ſunt hujuſmodi, ut in ſe ſpectata aliquid continere poſitivum agnoſcantur, in quo illa conveniant: Sic *humanum corpus*, & *lapis* poſitivam ſoliditatem habent ex aequo communem, in qua illa conveniunt.

De-

(a) Lib. II. Cap. VIII. §. 5.

Definitio II.

§. 19. Ea inter ſe diverſa vulgo a Philoſophis appellantur, quae ſunt hujuſmodi, ut nihil poſitivum inter illa diſcerni valeat, in quo illa conveniant: Sic A, & B ſunt diverſa, ſi nihil poſitivum exiſtat in A, quod etiam B commune ſit.

Corollarium I.

§. 20. Univerſa, quae nullam in ſe explicant contradictionem inter ſe convenire dicenda ſunt in ratione *Entis* poſitiva.

Corollarium II.

§. 21. *Non Entis*, ſive *Nihili* ratio, tametſi pluribus poſſit eſſe commune, non ejus tamen eſt indolis, in qua poſitive illa conveniant: Etenim Nihil inter ea vocabula recenſendum eſt, quae abſentiam idearum poſitivarum explicant (§. 17.)

Propositio III.

Convenire plura ſimul poſſunt in ratione Entis; licet eadem diverſa in alia ratione inter ſe ſint, & nihil reale poſitivum ſit illis ex aequo commune.

§. 22. *Demonſtratio.* Illa inter ſe in *Entis* ratione conveniunt, quae nullam in ſe explicant contradictionem (§. 20.) quaeque

que aliquid poſitivum habent, quod ſit illis ex aequo commune (§. 18.); Poſſunt autem plura convenire in negatione intrinſecae contradictionis, id eſt in ratione *Entis* poſitiva, ſimulque eſſe inter ſe diverſa; ſi nimirum ea in alia ratione ſint hujuſmodi, ut nihil poſitivum inter illa diſcerni valeat, in quo illa conveniant (§. 19.) Ergo plura convenire poſſunt in ratione *Entis*, licet eadem diverſa in alia ratione inter ſe ſint, & nihil reale poſitivum ſit illis ex aequo commune. Sic duo corpora *lignum ex. gr.* & *ignis* in *Entis* ratione mutuo conſentire intelliguntur, in ſenſatione tamen nihil habent perinde commune aliquid, in quo eadem conveniant.

Demonſtrat. II. Illa diverſa inter ſe eſſe cenſeri debent, quae nihil habent poſitivum in eadem ratione, quod omnibus ſit aeque commune, ſic A, & B diverſa inter ſe ſunt, ſi nihil poſitivum exiſtat in A quod etiam B commune ſit (§. 18.) ſed eadem A, & B convenire inter ſe poſſunt in ratione *Entis* poſitiva: Ergo licet eadem diverſa in alia ratione inter ſe ſint, & nihil reale poſitivum ſit illis ex aequo com-

commune, convenire tamen ſimul poſſunt in *Entis* ratione.

SCHOLION.

§. 23. Perſpicuum id amplius futurum puto, ſi rem exemplis illuſtrare obiter ſtudeamus: *Hominem* itaque ſtatuamus, eumque cum *Planta* aut *Virgulto* conferamus. Indubitata profecto res eſt, hominem nihil rationis aut conſilii cum planta habere commune, ac proinde ab illa quoque eſſe diverſum. Extra omnem praeterea dubitationis aleam conſtitutum eſt, eundem hominem nihil amoris aut iracundiae cum ipſa planta habere conveniens; attamen quis neget hominem perinde ac plantam in eadem entitate conſentire?

SECTIO IV.

De Entis amplitudine.

Entis attributum latius patere ſerio cuipiam cogitanti ſtatim apparet, quam permultis ſcholaſticarum ſubtilitatum ſectatoribus olim viſum fuerit. Mihi vero in hiſce Metaphyſicis demonſtrationibus quum ſemper propoſitum fuerit perſpicuam ſoli-

damque veritatem conſectari, atque a rerum cortice, ut ajunt, & umbra inani quapiam abhorrere; poſthabita idcirco ſcholarum pugna, nitida ſit

DEFINITIO I.

§. 24. Deus Opt. Max. eſt *Ens* (caeteroqui perfectiſſimum); illud nimirum, quod nullam in ſeipſo contradictionem involvit. (§. 3.)

DEFINITIO II.

§. 25. Deus Opt. Max. per id eſt *Ens*, per quod eſt id quod eſt (§. 8.)

AXIOMA I.

§. 26. De Dei Opt. Max. Natura cogitandum eſt quidquid perfectius aut majus illi, ſemota qualibet rerum contradictione, convenire videtur.

COROLLARIUM.

§. 27. Igitur Dei Opt. Max. eſſentia ab ejus exiſtentia nullo pacto diſtinguitur; atque ut vulgatum fert Scholarum effatum, duo haec in ipſo perfectiſſime identificantur; alioquin de illa non opinaremur quidquid perfectius aut majus illi convenire videtur.

AXIO-

Axioma II.

§. 28. De Creaturarum eſſentia imperfectius cogitandum eſt ac de Dei Opt. Max. Natura.

Corollarium.

§. 29. Igitur Creaturarum eſſentia ab earum exiſtentia propter imperfectionem *virtualiter*, ut ajunt, diſtingui debet.

Scholion I.

§. 30. Supremi Numinis notio; quae ex omnium perfectionum cumulo a nobis eſt concipienda, & quoad ingenii humani imbecillitas patitur, quoquomodo contemplanda; ea ipſa profecto non patitur eſſentiae ab exiſtentia in ea nos perſpicere diſtinctionem. Quamobrem omnes quotquot de Deo recte ſentientes ſcripſerunt, quum ratione, tum divinae Revelationis teſtimonio eandem tradidere doctrinam: Cumprimis vero ex celebri illo Exodi effato (a) *Ego ſum qui ſum* totam ſe confeciſſe rati ſunt confirmationem: In quo etiam non ex privata interpretatione, ſed omnium Patrum Traditione, & unanimi ſenſu praelucente laborarunt: Quaſi Dominus Moſen adlo-

(a) Cap. III. v. 14.

quens diceret: Ego ſum qui ſum; *quia quidquid in me eſt, non eſt accidens, non eſt diviſum, diſtinctum, aut a me ipſo ſeparabile; attamen totum eſſe meum cum exiſtentia, cum bonitate, ſapientia, potentia, caeteriſque attributis, quae mihi neceſſario jure ſunt propria, idem prorſus ſunt:* Hinc S. Bernardus (a) *Deus*, inquit, *amat, ut charitas, novit ut veritas, ſedet ut aequitas, dominatur ut majeſtas, regit ut principium, tuetur ut ſalus, operatur ut virtus, revelat ut lux, aſſiſtit ut pietas: Quae omnia faciunt & Angeli, facimus & nos; ſed longe inferiori modo, non utique bono quod ſumus, ſed quod participamus; Deus autem hoc ipſo quod eſt; ait enim:* Ego ſum qui ſum.

SCHOLION II.

§. 31. Etſi Deus *Ens* ſit per eſſentiam ab omnibus, quae in ipſo ſunt indiſtinctum, Creaturae vero per participationem *Entia* ſint & jure dicantur; attamen divinae haudquaquam perfectioni adverſatur Entia ſic appellari: Circumſcripta namque Creaturarum eſſentia, atque ab omnibus illius

(a) Lib. V. *ad Eugenium*.

lius attributis diſtincta, nihil de divinae eſſentiae magnitudine & perfectione imminuit, aut infinitum ejus ſplendorem nulla ratione valet obſcurare.

P R O P O S I T I O IV.

Attributum Entis eſt commune univocum Deo & Creaturis.

§. 32. *Demonſtratio*. Commune univocum illud eſt pluribus, ubi haec in eadem univoca ratione aeque conveniant: Sed Deo & Creaturis ex aequo commune eſt per id eſſe *Entia* per quod ſunt id quod ſunt (§. 8. §. 25.) Ergo attributum *Entis* eſt commune univocum Deo & Creaturis.

Demonſtr. II. Ea inter ſe convenire univoce in *Entis* ratione dicenda ſunt, quae nullam ex aequo explicant contradictionem (§. 22.) ſed Deus & Creaturae nullam in ſe ex aequo explicant contradictionem in *Entis* ratione (§. 3. §. 24.) Ergo &c.

Demonſtr. III. Dei Opt. Max. eſſentia ab ejus exiſtentia nullo pacto diſtinguitur (§. 27.) Creaturarum vero eſſentia ab earum exiſtentia propter imperfectionem *virtualiter* diſtinguitur (§. 29.) Ergo &c.

 Prob.

Prob. conſeq. Quae ab adverſae opinionis propugnatoribus ratio afferri in contrarium ſolet in eo eſt poſita; quod nimirum Deus *Ens* ſit perfectiſſimum, Creaturae vero *Entia* manca quodammodo, atque admodum imperfecta: Atqui ratio hujuſmodi inanis eſt prorſus & nihili facienda (ſalva ſemper, quae iis debetur obſervantia) Ergo &c.

Probatur minor Soritica methodo. Dei Opt. Max. eſſentia cum Creaturis collata ad demonſtrandam univocam *Entis* convenientiam perinde ſe habet; ſive haec eſſentia cum exiſtentia caeteriſque attributis identificetur, ſive non; eo quia tum *Entis* realis nomine hic quidpiam exiſtens haudquaquam concipitur (§. 3.) tum illud quod exiſtens intelligitur negationem intrinſecae contraditionis *Enti* non tribuat (§. 4.) Quod non ita *Ens* apprehenditur eſt id, quod mens attingit, quin pugnantia & contradictoria percipiat (§. 5.) Quod ita eſt & cognoſcitur, Deo ex aequo commune eſt & Creaturis (§. 3. §. 23.) Ergo adverſariorum ratio inanis eſt prorſus & nihili facienda; ac per conſequens attri-

tributum *Entis* eſt commune univocum Deo & Creaturis.

CorollariuM.

§. 33. Itaque univoca *Entis* convenientia Deum inter & Creaturas infinitum perfectionum divinarum diſcrimen atque exceſſum non reſpicit, quo Deus univerſis creatis rebus praecellit; verum id ſpectat ſolum, quod in negatione intrinſecae contradictionis commune inter utramque partem habetur.

SECTIO V.

De Entis Affectionibus.

HActenus de *Entis* eſſentia ejuſque amplitudine demonſtrationes inſtituimus. Rectus deinde Veritatum Metaphyſicarum poſcebat ordo, ut deinceps de illius quoque *affectionibus*, ſeu attributis vario demonſtrationum apparatu verba habere nonnulla, Voſque erudire ſtuderemus.

Entis itaque affectiones, de quibus ſumus in praeſentiarum acturi, illae vulgo nuncupantur, quae rebus competunt, quatenus praeciſe ſunt *Ens*; aliquod ſcilicet,

in quo nulla involvitur contradictio; quaeque *proprietates tranſcendentales* a Scholaſticis dici uſuveniunt; hoc idcirco appoſito notatae nomine, eo quia omnia *Entis* genera & differentias tranſcendant. Tres porro ſunt proprietates *Entis* praecipuae; *Veritas* nimirum, *Bonitas*, atque *Unitas*: Ex more igitur noſtro antequam Propoſitionem hac de re aliquam conſtituere animum applicemus, a definitionibus ordiamur.

DEFINITIO I.

§. 34. *Entis Veritas* in eo ſita eſt attributo, quo aliquid de re enunciatur, quatenus ipſa talis in ſe eſt, qualis eſſe debet ut ſit ſuo exemplari conformis: Sic aurum eatenus dicitur *Ens verum*, quatenus illi ideae conſentit, qua aurum exprimitur.

COROLLARIUM.

§. 35. Itaque omne *Ens* reale *Verum* eſt *Ens*: Sicuti enim unumquodque eſt id quod eſt; ita unumquodque eſt tale, quale eſſe debet ut ſuo exemplari cohaereat.

SCHOLION.

§. 36. Praetereundum obiter hic nullatenus eſt, *Veritatem* in triplici differentia ſi-

tam

tam eſſe: Aut enim *naturalis*, aut *Moralis*, aut *Logica* dicitur *Veritas*. *Naturalis* (quam metaphyſicam quoque appellant Philoſophi) ea eſt, per quam res quaelibet ideae ſuae archetypae intelligibili congruit atque ad amuſſim reſpondet: Ita *ex. gr.* vere quis eſt & dicitur homo, qui ad aeternam ſui ideam archetypam refertur: *Moralis* autem veritas congruentia ſignorum eſt externorum cum notionibus animi, quas per verba, ſcripturas, aliaque id genus ſymbola pandere homines ad vitae naturalis nec non civilis neceſſitatem coguntur; atque huic ſemper mendacium adverſatur. *Logica* tandem Veritas illa recte dicitur, quae tota in intellectus noſtri judicio aliquid decernentis ſita eſt: Ita *ex. gr.* quum quis judicat *aurum eſſe flavum* is intra ſe firmiter putat, ejuſmodi colorem vere auro eſſe attribuendum.

Quum itaque nos de *Entis veritate* loquimur, de illa ſolum, quae *Metaphyſica* dicitur, ſermocinari intelligimus, ac proinde reliqua mox enumerata genera ad noſtrum nullatenus ſpectant inſtitutum.

Corollarium.

§. 37. Metaphyſicae, ſeu tranſcendentali *Veritati* nulla opponitur falſitas, quae cum *Ente* componi valeat. Repugnat enim ut res ſit id quod eſt, ſimulque a ſuo exemplari reipſa diſcrepet. Itaque ſicuti *Verum* idem eſt ac *Ens*; ita *Ens falſum* idem eſt ac *non Ens*; videlicet illud, metallum *ex. gr.* non eſt *falſum aurum*, ſed *non aurum*, quod auri ideae nequaquam reſpondet.

Definitio II.

§. 38. *Entis Bonitas* tranſcendentalis illa affirmari debet ac definiri, quae *Enti* eſſentialem tribuit perfectionem: Eſt autem *perfectum eſſentialiter*, quod eſt hujuſmodi, ut nihil ipſi deſit eorum, quae in illo requiruntur ut ſit id quod eſt, atque adeo ut illi inſerviat fini, ad quem a ſummo rerum Opifice deſtinatum fuit.

Corollarium I.

§. 39. Quemadmodum *Veritas*, ita Bonitas nihil omnino eſt ab *Ente* diſtinctum, ſed *Ens* quodcumque, ſicuti formaliter eſt id quod eſt; & ideo verum; ita ſeipſo formaliter eſt in ſuo genere *perfectum*, atque adeo *bonum*.

Co-

COROLLARIUM II.

§. 40. Igitur nullum eſt *Ens malum* cujus malignans indoles tranſcendentali Bonitati poſſit adverſari: Nihil enim divelli poteſt ab eſſentia rei, quin pereat res ipſa.

COROLLARIUM III.

§. 41. Quemadmodum *Ens falſum* idem eſt ac *non Ens* (§. 37.): ita *Ens* metaphyſice *non bonum* idem eſt ac *non Ens*.

COROLLARIUM IV.

§. 42. Quare nullum in natura exiſtit, aut fingi a nobis malum poteſt, quod abſolute tale appellari valeat.

SCHOLION.

§. 43. Attamen prae oculis tempeſtive ſtatuendum eſt ſeduloque monendum, ea nimirum tanquam mala eſſe ab unoquoque putanda, quae relativam duntaxat malitiam habere dicuntur. Ipſa quinimo mala, quae *Moralia* a Philoſophis nec non Theologis tantopere vituperantur, ejus idcirco execrationis merito digna ſunt, quia vel ſanctioribus legibus adverſantur, vel rationalis naturae dignitati nullo pacto conſentanea eſſe pernoſcuntur: Neque enim aliunde *malum* exiſtere *morale* univerſi conſentiunt, ni-

ſi propter actionis liberae a lege Dei diſcrepantiam; ſeu propter dedecus illud, quod homo excellentiae ſuae delinquendo conſciſcit. Caeterum nulla *abſolute* mala excogitare fas eſt, niſi forte Manicheorum, aliorumque vetuſtiorum Philoſophorum, quos Plutarchus (a) recenſet, inaniſſimum atque impiiſſimum commentum mens noſtra ſit, iterum excitare. Horum porro (quos phanaticos jure nuncupari neceſſe eſt) pervulgata ſatis opinio fuerat, teterrimum ſemper hominum cervicibus imminere *Principium*, quod *malum* vocabant; a quo univerſa exitia, infortunia, clades, atque univerſa demum mala profecta, atque in dies perpetuo prodeuntia contendebant; quod alteri *Principio*, *bono* ſcilicet, coaevum ſive coaeternum, at ſemper infenſum, rebus praeeſſet humanis. Deliria equidem hujuſmodi, atque a craſſiſſimis tantum errorum ſomniatoribus conficta & conſarcinata. Ex quo tandem pervium quoque eſſe conficitur, evanidam prorſus habendam fore Theologorum diſtinctionem ſatis inter eos receptam, & vetuſtate ipſa confirmatam conſecra-

(a) *De Iſide & Oſiride.*

ſecratamque; qua nimirum nonnulla mala *Moralia* idcirco a reliquis ſecernuntur, quod illa intrinſeca malitia onuſta ſint, ideoque deteſtanda & vetanda, quia mala; haec vero cavenda, quia a Republica prohibeantur. Verum quid malorum intrinſecorum nomine explanare debent ipſi tandem, niſi illud, quod legi Naturae (quae Civilibus humaniſque omnibus potior eſt) adverſatur; niſi forte ipſi quoque perridiculi atque inepti admodum videri velint? Quisnam peccatum, omni lege ſublata, ſibi poterit comminiſci? Nulla ergo *abſolute* atque *intrinſece* mala, ſive phyſica, ſive moralia exiſtere, jure eſt affirmandum. Verum, ut de phyſicis etiam apertior explanatio fiat, expendendum eſſe hic exiſtimo, non aeque omnibus creatis rebus mala quaedam in natura reperiri communia, a quibus reipſa nec unus quidem valeat effugere: Etenim quae uni proficua cedunt, eadem alteri noxia ſunt; quae huic perniciem afferunt, mala; quae illi incolumitatem ſervant, aut a damno tuentur, bona dici ex more atque ex vulgari errore conſueverunt. Quamobrem jure Vir Clariſs.

riſs. (a) teſtatum ita reliquit: *Res non dicuntur bonae aut malae, niſi quatenus voluptatem aut dolorem in nobis procreant: Bonum itaque appellamus, quidquid aut voluptatem nobis creare vel augere poteſt, aut dolorem auferre vel minuere: Ex contrario malum, quidquid in nobis aut dolorem ingenerare vel augere poteſt, aut voluptatem avertere vel minuere.* Quapropter vel univerſa *tranſcendentaliter* bona ſunt, quatenus *Entis realis* bonitate gaudent; vel innumera vocari non bona neceſſe eſt, quatenus *non Entia;* quae nimirum contradictionem in ſe comitem habent; vel demum univerſa, bona aut mala dicere cogimur, quae relativam ſolum complecti bonitatem, aut malitiam, ſive quae rei cuipiam apte cohaerere, aut perperam adverſari percipiuntur.

COROLLARIUM.

§. 44. Igitur abſoluta bonitas *Enti* ſolum *reali* competere noſcitur; illi nimirum, quod nullam in ſeipſo explicat contradictionem. (§. 3.)

DE-

(a) *Lockius* Lib. II. Cap. XXIX. §. 2.

Definitio III.

§. 45. *Unum* tranſcendentale in negatione diviſionis rei in ſe, totum ſitum eſt: Videlicet *Ens* eſt metaphyſice *unum* quatenus indiviſum in ſe eſt.

Scholion.

§. 46. Exiſtimant nonnulli *Ens* ſub *Unius* ratione percipi haud poſſe, niſi tum indiviſum in ſe, tum diviſum a quovis alio illud a nobis concipiatur: Quos inter recenſeri debet Clariſs. Antonius Genuenſis (a): At fruſtra meo judicio opinantur. Ut primum enim *Ens*, ut in ſe indiviſum menti cogitanti occurrit, illud ſtatim ſub *Unius* ratione intelligitur.

Unum praeterea hujuſmodi duplex eſt, atque ita animadverti debet; *ſimplex* nimirum, atque *compoſitum*. Unum ſimplex illud dicitur, quod ita indiviſum in ſe eſt, ut ſit etiam indiviſibile; ſive illud, cujus nullae ſunt partes realiter diſtinctae: Ita mens humana indiviſibilis eſt. Unum vero compoſitum illud vocatur, quod indiviſum quidem reipſa eſt in ſe, at non proinde indiviſibile. Sic homo eſt *Ens unum compoſi-*

(a) Part. I. *Element. Metaph.* Cap. V. *de uno.*

poſitum; conſtat enim ex pluribus ſimul quidem conjunctis, verum a ſe mutuo ſeparabilibus.

COROLLARIUM.

§. 47. Unumquodque ſive ſimplex ſive compoſitum, ſua eſſentia eſt *Unium*, quemadmodum ſua eſſentia eſt *Ens* (§. 9.) Non enim poteſt aliquod eſſe id quod eſt, niſi indiviſa in illo ſint omnia, ex quibus *eſſentialiter* conſurgit.

SCHOLION.

§. 48. Cavendum eſt, ne *Unum* cum *Unico* confundatur. *Unicum* enim eſt in aliquo genere, cui alterum ſimile in eodem genere nequaquam datur. Sic *unicus* eſt filius, qui ſolus eſt. Itaque omne *Unicum* eſt *Unum*, ſed non viciſſim. Interdum tamen *Unum* pro Unico accipitur; ut quum Deus dicitur *Unus*.

PROPOSITIO V.

Unumquodque per id eſt Verum, ac Bonum, per quod eſt Ens.

§. 49. *Demonſtratio I.* Per illud unumquodque *Verum* ac *Bonum* eſſe debet, per quod eſt aliquid, quod ſuo exemplari, ſeu Ideae archetypae conforme eſt; quod item ſuae

ſuae perfectioni cohaeret, ac bonitati eſſentiali: Atqui repugnat aliquid non eſſe *Ens* per id quod eſt *Verum*, id eſt quod ſuo exemplari concors eſt; quia ſicuti unumquodque eſt id quod eſt, ita unumquodque eſt tale, quale eſſe debet, ut ſuo cohaereat exemplari (§. 34.) repugnat item aliquid non eſſe *Ens* per id quod eſt *Bonum*; eo quia quemadmodum *Veritas*, ita *Bonitas* nihil eſt ab *Ente* diſtinctum (§. 39.) Ergo unumquodque per id eſt *Verum* ac *Bonum*, per quod eſt *Ens*.

Demonſtrat. II. Per id *Verum* ac *Bonum* conſtituitur, cujus oppoſitum *non Ens* jure appellatur, (§. 37. §. 41.) Ergo Unumquodque &c.

Prob. antecedens Soritica methodo. Quod *non Ens* jure appellatur perinde eſt ac *Ens falſum*, ſeu *Ens non verum* (§. 37.) quod eſt *Ens falſum* quemadmodum *non Ens* vocatur, ita *non Bonum* idem eſt, ac *non Ens* (§. 41.) quod ita eſt, ejus oppoſitum *Ens* dici debet; quod eſt *Ens*, nihil omnino eſt, ut a *Veritate*, ita a *Bonitate* diſtinctum (§. 39.) quod ita indiſtinctum eſt, nullam habet oppoſitam falſitatem, nullamque

malitiam (§. 37. §. 40.) Ergo idem eſt quod *Verum* ac *Bonum:* Ergo *Verum* ac *Bonum* per *Ens* conſtituitur: Ergo per id *Verum* ac *Bonum* conſtituitur, cujus oppoſitum *non Ens* jure appellatur. Ergo Unumquodque &c.

PROPOSITIO VI.

Unumquodque per id eſt Unum, & ab alio diſtinctum, per quod eſt Ens, Verum, Bonum.

§. 50. *Demonſtratio.* Unumquodque per id *Unum*, & ab alio *Diſtinctum* eſſe debet per quod indiviſum in ſe eſt (§. 45.) ſed ita eſt, quatenus eſt *Ens*, *Verum*, *Bonum:* Ergo unumquodque per id eſt *Unum* &c.

Prob. Min. Unumquodque quemadmodum ſua eſſentia eſt *Ens*, (§. 9.) ita ſua eſſentia eſt *Unum:* non enim poteſt aliquod eſſe id quod eſt, niſi indiviſa in illo ſint omnia, ex quibus eſſentialiter conſurgit (§. 47.) ſed quod ſua eſſentia eſt *Ens* & *Unum*, ſua etiam eſſentia *Verum* & *Bonum* eſſe debet; quia quod eſt *Ens*, nihil omnino eſt, ut a *Veritate*, ita a *Bonitate* diſtinctum (§. 39.) Ergo unumquodque indiviſum in ſe eſt quatenus eſt *Ens*, *Verum*,

rum, *Bonum:* Ergo unumquodque per id eſt *Unum*, & ab alio *diſtinctum*, per quod eſt *Ens*, *Verum*, *Bonum*.

COROLLARIUM.

§. 51. Quae igitur diſtincta ſunt inter ſe, ſeipſis ſunt diſtincta: Per id enim unum non eſt aliud, per quod eſt ſua eſſentia id quod eſt.

SCHOLION I.

§. 52. *Diſtinctio latius patet quam diverſitas:* Omnia enim, quae ſunt *diverſa* ſunt etiam *diſtincta*, ſed non viciſſim. Eſſentia ſiquidem Petri diverſa haudquaquam eſt ab eſſentia Pauli; & tamen una, ut liquet, ab altera diſtinguitur.

SCHOLION II.

§. 53. *Diſtinctio duplex eſt*, *altera ſcilicet a parte rei*, *altera per intellectum:* Diſtinguuntur a *parte rei*, quae ita ſe habent, ut, omni conſideratione mentis ſecluſa, unum non ſit aliud: Ejuſmodi eſt diſtinctio animae rationalis a corpore; anima enim non eſt corpus, tametſi mens noſtra in utriuſque ſubſtantiae contemplatione nullo pacto immoretur. Diſtinguuntur vero *per intellectum*, quae in una eademque re

veluti plura, etſi plura non ſint, concipiuntur: Hujuſcemodi eſt diſtinctio virtutis *calefacientis* in igne, a vi ejuſdem *exſiccante:* Eadem namque virtus, qua ignis corpora calefacit, ea ipſa ſimul exſiccat; licet ob effectuum diſcrimen, perinde ac geminata in igne virtus ineſſet, concipiatur.

SCHOLION III.

§. 54. *Diſtinctioni opponitur identitas:* Quemadmodum enim unumquodque per id *Unum* & ab alio diſtinctum eſſe debet, per quod indiviſum in ſe eſt (§. 45.); ita nimirum ut unum non ſit aliud; ſic ea ex adverſo, quorum unum aliud ſit, ſimul *identificata*, ut Scholae ferunt, debent appellari.

SECTIO VI.

De Entium Poſſibilitate.

QUae hactenus de *Entis* affectionibus nobis differenda viſa ſunt, haud equidem integram ita complectebantur ipſius amplitudinem, ut, quamvis ea ad ejuſdem *Entis* Naturam proprius accederent, reliqua quae demonſtranda ſupererant, non indi-

indiviſam in ſeipſis cum illa haberent cognationem: *Entium* inquam *Poſſibilitatem*, quae non minus, quam eorum *Veritas*, *Bonitas*, atque *Unitas* ad illa ſpectare conſtabat. De hac igitur inpraeſentiarum ſermo inſtituetur a nobis, paucisque ex more abſolvetur: Ubi de *Impoſſibilitate* quoque, ex contrariis legibus ac pro re nata, agendum curabimus. Sit ergo interim.

DEFINITIO I.

§. 55. *Poſſibile* id vocamus, quod nec exiſtit, nec utrum exiſtat certum eſt; ſed illud tantum, quod non repugnat exiſtere: Ita nequaquam dicimus repugnare, hominem ſoſpitem hodie optimaque fruentem valetudine, die mori craſtina.

SCHOLION.

§. 56. *Poſſibile* (quod de Impoſſibili etiam ex inverſa ratione facili negotio intelligi poteſt) duplex primo eſt; *Logicum* nimirum, nec non *metaphyſicum*.

DEFINITIO II.

§. 57. *Logice poſſibile* id appellatur, quod nullam penitus in ſeipſo contradictionem involvit. Sic quoniam nulla in homine contradictio eſt, nullaque terminorum pu-

gua, homo dicitur *logice poſſibilis;* ſive ipſe exiſtat, ſive non.

DEFINITIO III.

§. 58. *Metaphyſice poſſibile* id omne appellatur, quod reipſa quidem in rerum natura non eſt, ipſum vero eſſe poteſt; quatenus ex eo poſito nulla penitus ſequitur contradictio.

COROLLARIUM I.

§. 59. *Omne logice poſſibile*, Ens *quoque reale dicendum eſt:* Illud enim eſt *Ens reale* quod nullam in ſe ipſo contradictionem complectitur (§. 3.)

COROLLARIUM II.

§. 60. *Omne poſſibile metaphyſice eſt etiam logice poſſibile; ſed non viciſſim.* Quod enim *metaphyſice poſſibile* eſt nullam contradictionem continet (§. 58.), ac proinde *logice poſſibile* eſt (§. 57.). Verum quum ad metaphyſicam poſſibilitatem illud inſuper requiratur, ut quod dicitur ſic poſſibile, in rerum natura reipſa haud exiſtat (§. 58.), non omne proinde *logice poſſibile* dici poteſt *metaphyſice poſſibile*.

SCHO-

SCHOLION I.

§. 61. Cavendum eſt ſeduloque pervidendum, ne *Poſſibilitatis* notio cum *Probabilitatis* Idea confundatur; quemadmodum minus cauti ſaepe faciunt: Enimvero Probabilitas; quemadmodum nos inter tradendum Dialectices Regulas (a) monuimus; ſpectat notionum, quibus ad aliquid affirmandum, aut negandum impellimur pondera, & rationum momenta; poſſibilitas vero ipſam duntaxat rei poſſibilis naturam contemplatur; quatenus illam ſpectamus ut *Ens reale* in quo nulla ſint contradictoria, aut termini repugnantes. Cui fortaſſe errori aditum aperuiſſe videtur quorundam Dialecticorum effatum illud admodum pervulgatum; *poſſibilitatem* nimirum, *quum rei cujuſpiam exiſtentia quaeritur, eſſe primum probabilitatis abſolutae gradum*. Verum circa hoc nihil excogitari poterat a ratione abſonum magis.

SCHOLION II.

§. 62. Quoniam vero triplici ratione evenire poteſt, ut in rerum natura conſtituatur aliquid, quod quidem modo in illa non

D 4 eſt,

(a) Cap. II. Sect. II. §. 10.

eſt, ſed eſſe poteſt; utpote nullam in ſeipſo contradictionem explicans; *Supernaturaliter* primo ſcilicet, *naturaliter* ſecundo, ac tertio demum *moraliter;* idcirco illud ipſum, quod *metaphyſice poſſibile* dictum fuit, in *poſſibile ſupernaturaliter*, *poſſibile naturaliter* (ſive phyſice) & in *poſſibile moraliter* ſatis apte dividitur: Quae item facta diviſio *Impoſſibili* ſuo loco erit accomodanda, eaque adverſa ratione definienda.

DEFINITIO IV.

§. 63. Illud *ſupernaturaliter poſſibile* dicitur, quod unica Dei virtute effici poteſt; adeo nempe, ut naturae vires excedat prorſus. Sic mortui ad vitam revocatio *ſupernaturaliter* ſolum poſſibilis eſt, eo quia nonniſi divina virtute patrari valet.

DEFINITIO V.

§. 64. Illud vero *naturaliter* ſive phyſice *poſſibile* dicitur, quod naturae viribus fieri poteſt, quin Phyſicae leges adverſentur, aut ipſius naturae jura ullo pacto violentur. Ita poſſibilis eſt pulveris pyrii inflammatio, ſi illi ignis admoveatur: ſufficiens quippe in eodem igne vis eſt, qua illa perficiatur, nec ulla adverſa obſiſtere poteſt virtus, quominus fiat.

Definitio VI.

§. 65. Illud tandem *moraliter* appellatur *poſſibile*, quod abſque magna difficultate peragi poteſt. Sic *moraliter poſſibile* eſt, quempiam in aliquibus conſtitutum circumſtantiis bene operari, qui plerumque incorrupte & ſancte in iiſdem ſe geſſit.

Scholion.

§. 66. Quicumque de *poſſibilibus* egerunt duo quoque ſtatuerunt *poſſibilium* genera, quae ſatis concinne ad rem noſtram referenda eſſe videntur. Etenim alia *poſſibilia extrinſeca*, ſeu relativa; alia vero *intrinſeca* ſive abſoluta dicta ſunt: Illa, quae ad primum genus ſpectant iis idcirco vocabulis definita leguntur, quod totam eorum poſſibilitatem ab externa aliqua cauſa ſeu vi hauriant, ab eaque referant acceptam: Ita *poſſibilium* id genus Deus Opt. Max. ita una eſt cauſa, ut niſi ipſe pro infinita ſui virtute agere concipiatur ea ipſa *impoſſibilia* recte dicantur: ſunt alia quoque ejuſdem *generis poſſibilia*, quae ab homine, aut alia quavis creata cauſa poſſibilitatem eorum profectam agnoſcunt. Attamen ſive Deus, ſive homines poſſibilitatis habeant aucto-

res,

res, utraque ipſa ſunt, quae vel circa *poſſibile ſupernaturaliter* vel circa *poſſibile phyſice & moraliter* tota verſantur. Quae vero ad alterum poſſibilium genus ſpectant, quaeque *intrinſeca* vocari ſolent, ex poſſibilium ipſorum inſpectione intima, atque ex eſſentialibus rei, de qua quaeſtio eſt & cognitio, nomen potiſſimum mutuantur: Ideo namque *eſſentialiter* & *intrinſece poſſibile* affirmamus, animal *ex. gr.* vi ratiocinandi praeditum, eo quia nihil in hujuſmodi notione concipimus quod contradictionem involvat, nihilque, quod ex terminis repugnare videatur; contra vero *impoſſibile* atque in ipſis terminis contradictorium ſtatim nobis ſe ſe exhibet, hominem ratiocinatione carentem cogitare; ſimul quippe haberetur & non haberetur homo. Quum itaque quaeritur, *poſſibile* ne aliquid ſit, intrinſeca cumprimis *poſſibilitas* inveſtiganda eſt, deinde extrinſeca inquirenda: Niſi enim perſpectum prius ſit nobis aliquid *intrinſece* eſſe *poſſibile*, ignoretur oportet quoque an tanta exiſtat Potentia ſeu cauſa, qua illud ipſum effici valeat. Quaeritur *ex. gr.* poſſibilis ne ſit alter Mundus, Globo

ni-

nimirum huic noſtro terraqueo ſimilis, viventibus aliiſque pulcherrimis ornatus: Primum ergo intrinſecam expendere neceſſe eſt poſſibilitatem; deinde animum convertere debemus ad ejus cauſae virtutem, a qua eſſet in lucem producendus.

COROLLARIUM.

§. 67. Igitur quae *poſſibilia* dicuntur *extrinſece* intrinſecam ſemper poſſibilitatem ſupponunt; alioquin, quemadmodum, eorum poſſibilitate ſuppoſita, *poſſibilia*; ita impoſſibilia tunc *extrinſece* dicerentur: Nulla enim cauſa, quantumvis potens, illud efficere poſſe intelligitur, quod contradictoria & pugnantia in ſe habet.

DEFINITIO VII.

§. 68. Quapropter illud ex adverſo *logice impoſſibile* dici ſolet, quod in ſeipſo explicat contradictionem: ſic eſt *logice impoſſibile*, ut aliquid ſimul album ſit & non album; ex terminis namque ipſis continuo pugnantia & contradictoria ſe produnt.

DEFINITIO VIII.

§. 69. *Metaphyſice* autem *impoſſibile* illud appellatur, quod in rerum natura locari nequit, quin contradictio conſequatur:

Ita

Ita *impoſſibilis* eſt *metaphyſice* circularis figura, quae ſimul quadrata ſit.

COROLLARIUM I.

§. 70. *Quod logice impoſſibile eſt, metaphyſice quoque impoſſibile eſt affirmandum; & viciſſim:* Etenim utrumque ex ambabus modo jactis definitionibus in ſe ipſo explicat contradictionem.

COROLLARIUM II.

§. 71. Quum nulla cauſa, quantumvis potens illud efficere poſſe intelligatur, quod contradictoria & pugnantia in ſe habet (§. 67.) inde ſponte ſua conſequitur quoque, illud nimirum *ſupernaturaliter* eſſe *impoſſibile*, quod eſt *logice impoſſibile*.

DIFINITIO IX.

§. 72. *Phyſice*, ſive *naturaliter impoſſibile* id omne dicitur, quod licet nullam in ſeipſo contradictionem explicet, vires tamen naturae excedit plane: Ejuſmodi eſt mortui quatriduani ad vitam revocatio.

DEFINITIO X.

§. 73. *Moraliter* demum *impoſſibile* id omne vocatur, quod nonniſi magna operis difficultate impleri valeat; atque adeo illud, quod nunquam aut ferme nunquam effici-

ficitur: Ita ſe habet & impoſſibile exiſtimatur, ut qui praeceps eſt inter currendum, nunquam ad ſolum ruat & proſternatur.

COROLLARIUM I.

§. 74. Quod *ſupernaturaliter impoſſibile* eſt, *phyſice* quoque *impoſſibile* cenſeri debet: Enimvero *impoſſibile logicum*, eſt etiam *metaphyſice impoſſibile* (§. 70.) quod eſt *metaphyſice & logice impoſſibile*, *ſupernaturaliter* item *impoſſibile* eſt (§. 71.) Ergo multo minus *phyſice* poſſibile dici poteſt; ergo *impoſſibile*.

COROLLARIUM II.

§. 75. Quod eſt *phyſice impoſſibile*, *moraliter* quoque *impoſſibile* haberi debet; ſed non viciſſim: Quod enim univerſas naturae vires habet repugnantes, non maxima ſolum difficultate effici poteſt, quemadmodum *moralis* ſe habet *impoſſibilitas*, verum etiam abſolute *impoſſibile* recte vocatur: Attamen quae ingenti ſolum difficultate perfici poſſunt *naturaliter poſſibilia* ſupponuntur.

SCHO-

SCHOLION.

§. 76. Eadem ratione, qua *Poſſibilis* notionem explicuimus ſuperius (§. 66.) notio *impoſſibilis* aeque hic exponitur; vel ex adſpectu eſſentialium nimirum, vel ex externae alicujus cauſae conſideratione; atque inde *poſſibilitas intrinſeca*, hinc *extrinſeca* proficiſcitur. Quamobrem tota hic mentis acies ne in ſtatuendis impoſſibilitatis ſive *intrinſecae* ſive *extrinſecae* finibus hallucinemur, nobis eſt educenda: Mentis namque noſtrae brevitas & anguſtia in cauſa plerumque eſſe poteſt, ut quemadmodum rerum eſſentias funditus introſpicere, earumque cunctas relationes pervidere prohibemur, ita earundem activas potentias & cauſas externas perfecte dimetiri nequeamus: Ex quo etiam conſequitur ut aliquantulum confuſae impoſſibilitatis utriuſque notiones menti eidem noſtrae exhibeantur. Illud certe extra omnem dubitationem eſt poſitum, omniumque ſapientum ſuffragio comprobatum, plura ſcilicet a Deo poſſe patrari, quam animus noſter vulgaribus percipiendis ideis aſſuetus capax ſit; aut plura etiam ex ſuis eſſentialibus ita ſe habe-

habere, quae nos fortaſſe obſcuritate ignorantiae obvoluti *impoſſibilia* prorſus arbitraremur. Non ideo tamen in aliud extremum deflectere debemus; quinimo ſummo ſtudio cavere nobis neceſſe eſt, ne ſcilicet aſſeramus, eorum nullum, quae nos *impoſſibilia* putamus; ne hoc ipſum quidem: *Idem poſſe ſimul eſſe & non eſſe:* revera fore *impoſſibile;* aut praeterea a Deo, qui infinita ſcientia praeditus eſt & potentia, eadem ipſa tanquam *poſſibilia* ſpectari; quemadmodum a Carteſio ſcriptum fuiſſe ex Joanne Clerico conſtat (a) Qui enim ita ratiocinantur, purum putumque in Rempublicam Litterariam invehunt pyrroniſmum, quo primitiva humanae ſcientiae fundamenta illico convelluntur. Verum neminem adeo ineptum aut rudem fore puto, qui hujuſce Carteſianae opinionis inanem plane vim non ſentiat; Etenim quemadmodum a Clar. Nicolao Mallebranchio (b) acute admodum expenſum fuit, tametſi Deus in eo potiſſimum mentibus noſtris infinite praeſtet; quod ille, quum omnia ſimul

(a) *Ontologiae* Cap. IV. §. 2.
(b) *De Morali & Relig.* Lib. I.

mul *poſſibilia*, tum perſpicue diſtinćteque percipiat; nos vero pauca duntaxat dilucide atque diſtinćte, ac multa obſcure & confuſe admodum intelligamus; nec illa omnia ſimul; at in quibuſdam, quae nos luculenter aeque ac diſtinćte apprehendimus mente (quemadmodum illa ſe habent; *nos* nimirum *exiſtere; idem ſimul eſſe & non eſſe non poſſe; totum eſſe ſua parte majus*, aliaque hiſce ſimilia) & in quibus ipſis contemplandis certi plane de eorum ſumus veritate, Deus nos nullo pacto ſuperat; ac proinde ſi ea nobis *poſſibilia* aut *impoſſibilia* certo videantur, ea ipſa apud Deum *poſſibilia* aut *impoſſibilia* perinde manent.

PROPOSITIO VII.

Sive logica, ſive Metaphyſica rerum poſſibilitas rebus ipſis intrinſeca eſt.

§. 77. *Demonſtratio*. Illud rei cuipiam intrinſecum eſt, quod *poſſibile* excogitari & eſſe valet, quin ad aliquam ſuae poſſibilitatis externam cauſam confugiamus: ſed res quaecumque concipi & haberi poſſunt, ſive *logice* ſive *metaphyſice* poſſibiles, quin ad ullam extrinſecam cauſam confugiamus (§. *66.*) Ergo ſive logica, ſive meta-

phyſi-

phyſica rerum poſſibilitas rebus ipſis intrinſeca eſt.

Demonſtrat. II. Soritica methodo: Logica nec non *metaphyſica poſſibilitas* illa eſt, quae nullam penitus in ſeipſa contradictionem involvit (§. 57. §. 58.) Quod nullam in ſeipſo contradictionem explicat, eſt *Ens reale* (§. 3.) Quod eſt *Ens reale* per id conſtituitur per quod eſt id quod eſt (§. 8.) Quod eſt id quod eſt, quemadmodum eſt tale, ita quoque *verum* eſt; tale nimirum, quale eſſe debet ut ſuo ſit exemplari conforme (§. 35.) Quod ita ſe habet, quemadmodum a *veritate*, ita a *bonitate* nullo pacto diſtinguitur (§. 39.) Quod ita indiſtinctum eſt, ſua eſſentia eſt *unum* (§. 47.) Quod ſua eſſentia eſt *unum*, ſua eſſentia eſt id quod eſt (§. 51.) Quod ſua eſſentia eſt id quod eſt, ſua eſſentia quoque nullam explicat contradictionem (§. 10.) Quod ſua eſſentia nullam explicat contradictionem, ſua item eſſentia *logice* & *metaphyſice poſſibile* eſt (§. 57. §. 58.) Quod ita ſua eſſentia *poſſibile* eſt, intrinſece *poſſibile* eſt (§. 66.) Ergo ſive *Logi-*

ca ſive *Metaphyſica* rerum *poſſibilitas* rebus ipſis intrinſeca eſt.

COROLLARIUM I.

§. 78. Itaque intrinſece concipitur hujuſmodi *poſſibile*, quin ad ullam extrinſecam ſuae *poſſibilitatis* cauſam confugiamus.

COROLLARIUM II.

§. 79. Itaque *poſſibilia* id genus intrinſeca, eorum *poſſibilitatis* Deum haudquaquam agnoſcunt Auctorem.

COROLLARIUM III.

§. 80. Igitur *poſſibilia* hujuſmodi neceſſario ſunt *poſſibilia*: Quae enim nullum eorum *poſſibilitatis* Auctorem agnoſcunt a quo *poſſibilia* eſſe caeperint, ſemper ab intrinſeco talia fuere: Ergo neceſſario.

COROLLARIUM IV.

§. 81. Ergo *Ens*, *Verum*, *Bonum*, *Unum*, quemadmodum a *Poſſibili* indiſtincta demonſtrantur, ita fateri debemus, eadem talia eſſe neceſſario.

COROLLARIUM V.

§. 82. Contra vero de eo, quod *impoſſibile* eſt haud equidem licet inverſa ratione hactenus expoſita enunciare: Quod enim *impoſſibile* eſt, ſive *logice* ſive *meta-*

phyſi-

phyſice, in ſeipſo explicat contradictionem & pugnantia in ſe continet (§. 68. §. 69.) Quod contradictionem involvit pro *non Ente* jure fuit a nobis definitum (§. 11.) Quod *non Ens* dicitur, *nihilo* recte reſpondet & aequiparatur (§. 12.) Quod nihilo comparatur, *Entis* negationem excitat (§. 13.) Quod *Entis* negationem excitat, eorum etiam negationem exhibet, quae *Verum*, *Bonum*, *Unum*, *Poſſibile* ſua eſſentia eſſe dicuntur; Quae ita negationem eorum excitant, *logice* & *metaphyſice* poſſibilium negationem excitant (§. 68. §. 69.) Quae ita ſunt, intrinſece impoſſibilia ſunt (§. 76.) Ergo ſive *logica* ſive *metaphyſica* rerum *impoſſibilitas* rebus ipſis intrinſeca eſſe nequit.

COROLLARIUM VI.

§. 83. Quemadmodum *non Ens*, ſeu *nihil* duas in nobis excitat notiones; *Entis* nimirum unam, alteram vero negationis rei alicujus in eodem *Ente* (§. 13.) ita etiam *Impoſſibile* quoquomodo acceptum binas in mente ideas producit; *Poſſibilis* nimirum unam, alteram vero negationis rei alicujus in eodem *Poſſibili*.

Corollarium VII.

§. 84. *Supernaturalis*, *naturalis*, *&* *moralis poſſibilitas* nihil addunt rebus *metaphyſice Poſſibilibus*, niſi extrinſecam tantum denominationem a virtute cauſae producentis deſumtam. Enimvero rem eſſe *ſupernaturaliter*, *naturaliter*, & *moraliter poſſibilem*, perinde omnino eſt, atque extare extrinſecam cauſam, quae valeat rem ipſam hoc, vel illo modo producere: Sed *poſſibilia*, quae ejuſmodi ſunt, ideo talia dicuntur, quia ſemper *metaphyſicam* eorum *poſſibilitatem* ſupponunt; adeo ut, niſi illa poſſibilia intrinſece forent, nullatenus extrinſece talia dici poſſent (§. 67.) Ergo quidquid a cauſa producente extrinſece habent, nihil addit rei *metaphyſice poſſibili*, niſi extrinſecam tantum denominationem a virtute cauſae producentis deſumtam.

SECTIO VII.

De Entium neceſſitate & contingentia.

QUod *poſſibile* eſt; aut *neceſſarium* aut *contingens* eſſe debet: Quare admodum ſane facienda nobis ita viſa eſt de duo-

duobus hiſce *Entis* affectionibus Diſſertatio (quemadmodum magni illam quoque habuerunt, quotquot de Ontologicis rebus ſermonem inſtituiſſe fauſteque abſolviſſe reperiuntur) ut nulla modo ratione a nobis eſſet praetereunda: Niſi enim de *neceſſitate* & *contingentia*, quae *Entibus*, pro varia eorum natura, tanquam attributa accommodari debent, ſedulo a nobis actum fuiſſet, praeter Operis defectum, permulta etiam utilia, & ad reliqua percipienda neceſſaria negligere & aſpernari videremur. Ne itaque hoc nobis ſocordiae vitioque vertatur, ſit.

DEFINITIO I.

§. 85. *Neceſſarium* generatim acceptum, id omne a Metaphyſicis appellatur, *cujus oppoſitum eſt impoſſibile*. Sic *neceſſarium* eſt triangularem figuram tribus lineis tribuſque lateribus terminari; eo quia eadem figura quatuor lineis, totidemque lateribus impoſſibile eſt, ut terminetur.

SCHOLION.

§. 86. Quemadmodum de *Poſſibili* & *Impoſſibili* ea triplici diviſione conſtare aſſeruimus (§. *62.*) ita *neceſſarium* triplex

eſſe; *Metaphyſicum* nimirum, *Phyſicum*, & *Morale*; ſtatuimus.

DEFINITIO II.

§. 87. *Metaphyſice neceſſarium vocatur illud, cujus oppoſitum repugnat.* Sic *metaphyſice neceſſarium* eſt, Deum eſſe omnino independens; quippe Deum ab aliquo dependere contradictionem involvit.

SCHOLION.

§. 88. Acute admodum, atque ad rem noſtram accommode ceterorum Metaphyſicorum ductu, & noſtra etiam meditatione duplex *metaphyſice neceſſarium* diſtinguere lubet; unum ſcilicet quod Deum Opt. Max. duntaxat reſpicit, *Ens neceſſarium* videlicet, non quoad eſſentiam intelligibilem tantum, verum etiam quoad infinitam ipſam ejus eſſentiam potiſſimum ab ejuſdem exiſtentia indiſtinctam (§. 27.); alterum *neceſſarium*, quod ad aeternas rerum eſſentias intelligibiles ſpectat, quas etiam *Archetypas* appellabamus (§. 36.) Rerum itaque eſſentiae hujuſmodi ita animadverti debent, ut niſi aut creatae aut exiſtentes in rerum natura ſupponantur, id habeant quod in *neceſſario metaphyſice requiruntur* (§. 87.)

Corollarium.

§. 89. Igitur *Poſſibilia* omnia, ſunt *metaphyſice neceſſaria:* Quae enim *poſſibilia* ſunt, nullam quoque explicant contradictionem (§. 57. §. 58.) Ergo intrinſece talia ſunt (§. 66.) Ergo *Poſſibilia* hujuſmodi neceſſario ſunt *poſſibilia* (§. 80.) Quae ita ſunt neceſſario, *metaphyſice neceſſaria* ſunt (§. 87.) Ergo *Poſſibilia* omnia, *metaphyſice* ſunt *neceſſaria*.

Definitio III.

§. 90. *Phyſice neceſſarium eſt, cujus oppoſitum adverſatur naturae legibus; nulla tamen ex eo poſito ſequitur contradictio.* Hoc modo neceſſarium eſt lunae deliquium, ſi telluris globus ſolem inter atque ipſam lunam directe habeatur: Oppoſitum quippe non patitur naturae lex, etſi ipſum fieri non repugnet.

Definitio IV.

§. 91. *Moraliter neceſſarium* cenſetur id omne, cujus oppoſitum neque contradictionem involvit, neque naturae legibus contrarium eſt; verum aut nunquam *aut ferme nunquam contingit*. Hoc modo neceſſarium eſſe dicimus, ut qui periculum amat, in illud labatur & pereat.

Corollarium I.

§. 92. Quidquid *metaphyſice neceſſarium* eſt, *neceſſarium abſolute* dicendum eſt. Quum enim *metaphyſice neceſſarium* illud definitum fuerit, cujus oppoſitum *impoſſibile* eſt & repugnat (§. 87.) & quod neceſſario *impoſſibile* eſt, abſolute impoſſibile ſit & ab intrinſeco (§. 76.), conſequitur proinde, quidquid metaphyſice neceſſarium eſt, neceſſarium quoque *abſolute*, nullaque ad externas cauſas facta relatione, dicendum eſſe.

Corollarium II.

§. 93. Quidquid *phyſice neceſſarium* eſt, *ex ſuppoſitione* tantum & *relative* ad ſuas naturae leges *neceſſarium* dici debet. Quum enim *phyſice neceſſarium* naturae ſolum legibus in ſua neceſſitate conſonum ſit, quin ulla ex ejus oppoſito ſequatur contradictio metaphyſica & abſoluta (§. 90. §. 92.) conſequitur *neceſſarium* illud fore vocandum, ex inſpecta tantum relatione ad phyſicae leges.

Corollarium III.

§. 94. Itaque *neceſſaria* ex *ſuppoſitione* appellatur ſtuppae combuſtio, quoties in ae-

qua

qua diſtantia igni ipſa admoveatur; proximus namque illi factus ignis in cauſa eſt, cur ſtuppa dicatur *neceſſario* eo pacto & conditione comburi.

SCHOLION.

§. 95. Antequam ad alia pauca *Neceſſarii* genera tranſeamus operae pretium fore puto brevia quaedam hic animadvertere, quae quum hactenus explanatis atque definitis, tum vero maxime dicendis aliquod conciliare lumen poſſint. Etenim qui accuratiores inter Metaphyſicos audiunt, duo *Neceſſitatis* alia ſumma capita tradunt; quorum unum *Neceſſarium eſſentiae*, alterum *Neceſſarium exiſtentiae* dicere, vulgari hujuſmodi loquutione contenti, conſueſcunt. Qui praeterea tam ſedulam in Metaphyſica navant operam, ut nihil, quod non enucleatum plane ſit, relinquant, alia perinde duo *Neceſſitatis* genera conſtituunt, quorum prius *Neceſſarium ad Eſſentiam*, ſecundum vero *Neceſſarium ad exiſtentiam* non abſimilibus vocabulis appellant. Quum igitur nobis nitidum rerum tractandarum ordinem perſpicuitate comite ſemper, quoad poterimus, conſectari propoſitum ſit; idcirco prodeat.

Definitio V.

§. 96. *Neceſſarium Eſſentiae* illud recte appellari debet, quod eſſentiam habet immutabilem; ſive *Ens* illud, cujus oppoſitum repugnat (§. 85.) nec aliter habere ſe poteſt.

Corollarium.

§. 97. Igitur ad *neceſſarium Eſſentiae* omnia pertinent *poſſibilia:* Illa namque *eſſentiam* habent *neceſſariam*, quae ſunt *metaphyſice neceſſaria* (§. 89.)

Definitio VI.

§. 98. *Neceſſarium exiſtentiae* illud vocari debet, quod exiſtentiae ſuae cauſas haudquaquam agnoſcit, nec habere poteſt.

Corollarium.

§. 99. Igitur *neceſſarium exiſtentiae*, naturae ſuae immutabilis neceſſitate exiſtit: Quod enim exiſtentiae ſuae cauſas non habet (§. 98.) neceſſitate naturae ſuae debet exiſtere.

Definitio VII.

§. 100. *Neceſſarium ad eſſentiam* illud eſt omne, quo ſublato rei cujuſpiam Eſſentia nequit haberi: Ita ſoliditas ad corporis eſſentiam *neceſſaria* dicitur; & aequalitas

ra-

radiorum, ad circuli eſſentiam poſtulatur neceſſaria perinde.

DEFINITIO VIII.

§. 101. *Neceſſarium ad exiſtentiam* dicitur illud, ſine quo aliquid exiſtere nequit. Ita ſi non exiſtente A, nequit exiſtere B; tum A dicetur neceſſarium ad exiſtentiam B.

AXIOMA I.

§. 102. Eſſentiae rerum, vel a ſupremo omnium Conditore factae ſunt; vel aeternae, intelligibiles, & *metaphyſice neceſſariae* ſunt; illae nimirum, quae ut poſſibiles tantum exiſtunt in infinita mente Dei.

AXIOMA II.

§. 103. Eſſentiae rerum vel *reales* ſunt, vel *notionales* ſive *nominales*.

SCHOLION.

§. 104. Utraque haec Eſſentiae diviſio, in utroque ab omnibus recepto axiomate expreſſa, magnum quidem habet in inquirenda de *Ente* veritate uſum. Harum poſterior egregie a Clariſs. Lockio illuſtratur (a). Quotquot tamen hujuſmodi eſſentiarum diſcrimen non recte ſervant nec prae ocu-

(a) Lib. III. Cap. III.

oculis habent dum *Eſſentias nominales* pro *realibus* animo & cogitatione uſurpant, ipſi quidem falli magnopere poſſunt. Et re quidem vera cum *reales eſſentiae* illae ſint, quas non ſatis perſpectas teneamus (niſi forte Geometrica tantum & Arithmetica merito velimus excipere, in quibus eſſentias funditus certe percipimus; quaeque tandem quum a Geometrarum & Arithmeticorum inventione & arbitrio pendeant, nihil aliud plane niſi *eſſentiae nominales* jure ſunt appellandae) inde colligi facile poteſt quantum a vero aberrare poſſint plerique Philoſophi; qui pro eorum lubito vocabula rebus tribuentes, iiſdem *reales eſſentias* contra caeterorum ſententiam aſſequutos eſſe contendunt. Quod, ut dicta exemplis illuſtremus, ex Carteſianis liquido & continuo patet, qui Corporis eſſentiam in extenſione locantes, ipſi quidem ejuſdem corporis eſſentiam attigiſſe ſibi blandiebantur; at adverſos hac in re caeteros experti ſunt, atque hujuſce nominalis Eſſentiae impugnatores Philoſophos.

Non minus vero prodeſſe arbitror priorem Eſſentiae diviſionem exploratam in-

telligere & perſpicue habere conſtitutam: Quandoquidem Eſſentiae intelligibiles atque aeternae, quum a nulla externa cauſa, qua fiant, pendere poſſint, neque ab ulla quoque extrinſeca potentia deriventur, qua metaphyſice aut *poſſibilia* (§. 66.) aut *neceſſaria* ſint (§. 88.) recte inde inferri poſſe exiſtimo, tum rite a Philoſophis eam ſtatutam fuiſſe diviſionem, tum nos deinceps in demonſtrandis Theorematibus, fore ut tutius progrediamur atque nitidius. Antequam vero Propoſitiones aliquot conſtituamus, prius ſit

DEFINITIO IX.

§. 105. *Contingens* dicitur quidquid eſt hujuſmodi, ut illius oppoſitum eſſe poſſit. ſic nonniſi contingens eſt, hominem doctrina eſſe praeſtantem, quum fieri queat, ut nulla prorſus eruditio aut doctrina in eodem homine habeatur.

COROLLARIUM I.

§. 106. Omne *contingens*, mutabile eſt: Etenim quidquid, ut ſit, ab extrinſeca & libera cauſa pendere novimus; cujuſmodi ſunt creata omnia a Deo; eſſentia non gaudet immutabili, ac proinde ejus oppoſitum

non

non repugnat (§. 105.) Quod praeterea neceſſitate ſuae naturae non eſt, aliter ac ſe habet, eſſe poteſt: Ergo *contingens* mutabile eſt.

COROLLARIUM II.

§. 107. Ergo rerum eſſentiae intelligibiles, immutabiles ſunt: Earum namque oppoſitum eſſe nequit (§. 96.) Eae quoque *metaphyſice neceſſariae* ſunt, ac proinde neceſſitate ſuae naturae ſunt (§. 97.)

SCHOLION.

§. 108. Quemadmodum *poſſibile* ac *neceſſarium* triplici diviſionis genere conſtare expoſuimus (§. 66. §. 86.) ita *contingens* ſub eodem vario genere claudi neceſſe eſt: Aut enim *contingens* metaphyſice aut phyſice, aut moraliter dici debet: Quare ſit

DEFINITIO X.

§. 109. *Contingens* illud dicitur *metaphyſice* quod ejuſmodi eſt, ut illius oppoſitum non repugnet. Ita *metaphyſice contingens* haberi debet, ut ſtuppa ab igne ſibi proximo comburatur.

COROLLARIUM I.

§. 110. *Neceſſarium tam phyſicum, quam morale, eſt metaphyſice contingens.* Non repu-

pugnat quippe, ut contrarium illius accidat, quod tam *phyſice* (§. 90.) quam *moraliter* neceſſarium eſt (§. 91.)

DEFINITIO XI.

§. 111. *Phyſice contingens* vocatur illud, quod ſalvis naturae legibus eſſe poteſt. Ita *contingens* eſt matutina Caeli ſerenitas, quoties in ſero rubedo apparuerit. Poteſt nihilominus oppoſitum contingere, ſicut reipſa interdum accidit, quin propterea aliqua vel minima labes naturae legibus inferatur.

COROLLARIUM.

§. 112. Igitur *Moraliter neceſſarium*, eſt *phyſice contingens:* Salvis enim naturae legibus illius contingere poteſt oppoſitum, quod *moraliter neceſſarium* definitum fuit. (§. 91.)

DEFINITIO XII.

§. 113. *Moraliter* demum *contingens* illud dicitur, cujus oppoſitum ex aequo fieri poteſt ac ſolet.

COROLLARIUM.

§. 114. Tam *metaphyſice* & *phyſice* quam *moraliter contingens*, mutabile eſt: Quidquid enim ita eſt, ut illius oppoſitum non re-

repugnet (§. 109.) eſſentia non gaudet immutabili (§. 106.)

PROPOSITIO VIII.

Rerum eſſentia metaphyſice neceſſaria eſt, atque rebus ipſis intrinſeca.

§. 115. *Demonſtratio*. Illud *metaphyſice neceſſarium* dicitur cujus oppoſitum repugnat (§. 87.) Atqui rerum eſſentia ita eſt, ut ejus oppoſitum repugnet: Ergo rerum eſſentia &c.

Probatur min. Rerum eſſentia ita in ejus oppoſito repugnat, ut niſi *metaphyſice neceſſaria* eſſet, eſſentia ipſa eſſet ſimul & non eſſet; Atqui id receptiſſimo Axiomati adverſatur, atque uniuſcujuſque intimae conſcientiae vim facit: Ergo rerum eſſentia ita eſt, ut ejus oppoſitum repugnet.

Prob. maj. Quaelibet hactenus a nobis definita neceſſitas, pro vario ejus genere, praeter illam quae *metaphyſica* nuncupatur, ejus oppoſitum non excludit (§. 90. §. 91.) eo quia *neceſſarium metaphyſice* tantum illud eſt, quod *neceſſarium* abſolute dicendum eſt, reliqua vero aut ex ſuppoſitione neceſſaria ſunt (§. 93.) aut *metaphyſice con-*

tin-

tingentia dicuntur (§. 110.) Atqui rerum eſſentia quoties ejus oppoſitum non excludat, continuo ſimul eſſet & non eſſet; Ergo niſi *metaphyſice &c.*

Prob. min. Quum rei cujuſque eſſentia ſit id, per quod res ipſa eſt id quod eſt (§. *9.*) eadem proinde eſſet, ut ſupponitur; non eſſet autem, quia ejus oppoſitum non excluderet: Ergo rerum eſſentia, quoties ejus oppoſitum non excludat, continuo ſimul eſſet & non eſſet.

Deinde Soritica methodo demonſtratur. Rei cujuſque eſſentia illud eſt, per quod res ipſa eſt id quod eſt (§. *9.*) Illud, quod eſt nullam in ſe ipſo explicat contradictionem (§. 3.) Quod nullam in ſe contradictionem involvit, ſua eſſentia *logice & metaphyſice* poſſibile eſt (§. 57. §. 58.) Quod ſua eſſentia poſſibile eſt, intrinſece poſſibile eſt (§. *66.*) Quod poſſibile intrinſece eſt, neceſſario poſſibile eſt (§. 80.) Quod neceſſario poſſibile eſt, *metaphyſice neceſſarium* eſt (§. 87.) Quidquid *metaphyſice neceſſarium* eſt, *abſolute neceſſarium* eſt, nullaque ad externas cauſas facta relatione (§. *92.*) Quod *metaphyſice* & abſolute neceſſarium

 eſt

eſt, eſſentiam habet neceſſariam (§. 89.) Quod eſſentiam habet neceſſariam & immutabilem *neceſſarium eſſentiae* recte appellatur (§. 96.) Quod *neceſſarium eſſentiae* eſt, *metaphyſice neceſſarium* eſt (§. 85.) Ergo rerum eſſentia *metaphyſice neceſſaria* eſt, atque rebus ipſis intrinſeca.

PROPOSITIO IX.

Eſſentiae rerum, quae a ſupremo omnium Conditore factae ſunt, metaphyſice contingentes ſunt.

§. 116. *Demonſtratio. Contingens* recte illud dicitur *metaphyſice*, quod ejuſmodi eſt, ut illius oppoſitum non repugnet (§. 105.) Atqui ita ſe habent rerum eſſentiae, quae a ſupremo rerum omnium Conditore factae ſunt, ut earum oppoſitum non repugnet: Ergo eſſentiae &c.

Probat. min. Rerum eſſentiae, quae factae dicuntur ita a Deo ſunt conditae, ut immutabili eſſentia non gaudeant; ſed quae ita ſe habent nullam habent ad ſuum oppoſitum repugnantiam (§. 109.) Ergo &c.

Deinde Soritica methodo demonſtratur. Quod *metaphyſice contingens* eſt, neceſſario tam phyſico, quam morali comparatur (§. 110.)

110.) Quod phyſice ac moraliter neceſſarium eſt, ejuſmodi eſt ex ſuppoſitione & relative (§. 93.) Quod relativum eſt ad ſuas cauſas refertur; Quod ita refertur, abſolute neceſſarium non eſt; Quod abſolute neceſſarium non eſt, *metaphyſice contingens eſt*: Ergo eſſentiae rerum, quae a ſupremo omnium Conditore factae ſunt, *metaphyſice contingentes* ſunt.

S C H O L I O N.

§. 117. Quae hic de eſſentiis a Deo *factis* dictum a nobis fuit, eo tantum, ut cuipiam perſpectum eſſe poterat, ſpectabant, ut illae in ſemetipſis inſpicerentur; non equidem exiſtentes & a *parte rei*, ut ajunt, conſtitutae; verum tanquam a ſuprema rerum omnium cauſa, & ab aeterno neceſſario primo Ente Deo Opt. Max. pendentes. Quum vero eaedem eſſentiae contemplandae quoque nobis ſe ſe offerant in exiſtentia locatae, & quae prius in una Dei mente verſabantur, in eſſe deinde rerum cerni valeant, non immerito peculiarem *Ontologiae* hujus Tractationem poſtulare videbantur; unde facilius totius *Entis* doctrina percipi poſſet. Quis enim ambigat, non

F 2 ea

ea quidem tam difficilia captu fore, quae ad nos accedunt proprius, quaeque cum iis, quae ſunt, quae oculis aliiſque ſenſibus aſſequimur, commune ac finitimum aliquid habent? Quum quae itaque exiſtentia donantur, ſenſus percellant noſtros, jure propterea alterum hoc *Ontologiae* noſtrae Caput *de Ente peculiarius inſpecto* inſcribere poſſe mihi videor. Quidquid igitur de *Ente* inpoſterum differere neceſſitas poſcet, de eodem tanquam exiſtente verba habere decernimus. Interim ſatis ad moniti hujus elucubrationem.

Verum animadvertere hic deinde neceſſe eſt, me quum in praefatis Theoreticis Propoſitionibus, tum in reliquis per totam ubique Metaphyſices Provinciam exhibendis demonſtrandiſque, ſoriticam idcirco cum Syllogiſtica methodo miſcere voluiſſe, ut qui Dialecticas arguendi leges didicere, utrumque argumentationis genus experimento ipſo ſentire, earumque uſum ob oculos perſpectum habere, & qua demum ratione *Sorites* in Syllogiſmos ſaepe conſletur, valeant intelligere. Caeterum illud, quod in demonſtrationibus magnopere exiſtimamus,

in

in mathematica methodo, quae uno *Sorite* abſolvitur, poſitum eſt; jure arbitrantes, eam duntaxat ratiocinationem omnium eſſe inviĉtiſſimam, in qua Idearum nativa connexio, immediata ubique ſervatur; ubi enunciatio quaelibet ſua gaudet perſpicuitate, omne attributum ſubjeĉto ſuo proximo vinculo adnexum eſt; ac demum ubi conſequutio ſponte ſua a nitidiſſima illa idearum colligata ſerie proficiſcitur; quemadmodum in Arte Logica noſtra (a) ſatis perſpicue demonſtraſſe opinor.

ON-

(a) Cap. III. Seĉt. III.

ONTOLOGIA.

CAPUT II.

De Ente peculiarius inſpecto.

QUid *Entis*, & *Eſſentiae* nominibus intelligendum occurrat ſatis ſuperque, ut reor, non modo definitum hactenus fuit, verum etiam mathematica & ſyllogiſtica ſimul ratione demonſtratum. Quapropter generalem eorum Tractationem me aſſequutum eſſe confidens, ad alia petere & tranſitum inſtituere in praeſentiarum aggredior, quae ipſam *Entis* materiam proprius ſpectare videntur, neque ipſum tantum *abſtracte*, ut ajunt, quantum huc uſque illud contemplari operis neceſſitas poſtulabat, expendunt. Hinc recte alterum hoc *Ontologiae* Caput *De Ente peculiarius inſpecto* idcirco inſcribi poſſe viſum eſt, quod de illo ſemper exi-

ſten-

ſtente, & tanquam in rerum natura locato a nobis agendum ſit, ac quaecumque pro varia illius indole & proprietatibus dicenda erunt, ad illud ipſum ſub hac *exiſtentiae* ratione ſpectatum nobis propoſitum ſit perpetuo referre. Itaque quemadmodum omnes, qui Phyſicam ejuſque vires pertractandas aggreſſi ſunt, ſcite illam in *Generalem* & *Particularem* veluti in duo Naturae ab ipſis conſiderandae ſuprema Capita diviſiſſe leguntur; ita nos univerſam *Ontologiam* majoris perſpicuitatis ergo in eam primum partiri ſtatuimus, quae *Ens* generatim intuetur; quaeque *Generalis Ontologia* non immerito dici poteſt; deinde in alteram, de qua modo demonſtrationes eodem ordine ſumus habituri, quae ſatis apte *Particularis Ontologia* appellabitur.

SECTIO I.

De Entis exiſtentia.

TAmetſi quoties de hac *Particulari Ontologia* erit diſſerendum *Ens* ſemper *exiſtens* prae oculis ſimus habituri; attamen notionum rectus ordo poſtulare videbatur,

batur, ut quid primum *Entis exiſtentia* eſſet, exploratum atque definitum ſtatueremus, ut inde etiam ad Theoremata nonnulla ſancienda atque demonſtranda graderemur. Quare ſit

DEFINITIO I.

§. 118. *Ens exiſtere, eſt illud extra nihil reperiri*. Exiſtere nimirum dicuntur quaecumque in rerum natura poſita ſunt: Contra vero non exiſtere, quae nihil ſunt in rerum natura.

SCHOLION.

§. 119. Quidquid exiſtit atque extra nihilum reperitur a Metaphyſicis & a Scholaſticis *Ens in actu*, ſeu *actuale* dici ſolet; quod etiam *complementum poſſibilitatis* ab iiſdem vocatur. Quum vero nonnulla ſint, quae tametſi *actu* non exiſtant, ſed tamen exiſtere poſſunt, quatenus ab aliqua cauſa produci valent; haec proinde *Entia* ſive *Exiſtentia potentialia* nuncupantur. Ita arbor in ſemine deliteſcens, eatenus ita appellatur, quatenus terrae fertilitate, pluvia, rore, ſolis fervore, velut totidem cauſis, accedentibus, ad ſui exiſtentiam poteſt perduci.

DE-

DEFINITIO II.

§. 120. *Exiſtere per eſſentiam* dicitur *Ens*, quod ita exiſtit, ut ipſa ſua eſſentia ſit ratio, cur exiſtat; ſeu ideo exiſtit, quia eſt id quod eſt. Sic Deus dicitur exiſtere per *ſuam eſſentiam*, quia ratio cur exiſtat, in ipſamet ſui eſſentia continetur.

DEFINITIO III.

§. 121. Contra vero non exiſtit per *ſuam eſſentiam*, cujus ratio exiſtendi in ipſius eſſentia minime comprehenditur; ſic per *ſuam eſſentiam* non exiſtit homo: Ideo namque non exiſtit, quia hominis *eſſentia* eſt; quin deſinat eſſe id quod eſt, aut quin ulla ſequatur contradictio.

COROLLARIUM I.

§. 122. *Quod per ſuam eſſentiam exiſtit, a ſe quoque exiſtens jure dici poteſt*. Enimvero *exiſtere per eſſentiam* ideo dicitur, quia ratio cur aliquid exiſtat in ipſa ejus eſſentia continetur (§. 120.) Ergo a ſe habet cur exiſtat. Contra vero quod per *ſuam eſſentiam* non exiſtit, a ſe exiſtens recte dici nequit.

Co-

Corollarium II.

§. 123. Igitur unumquodque *exiſtens*, vel *a ſe* eſt, vel *ab alio*. Perſpicuum namque eſt, inter duo haec exiſtendi genera nullum reperiri medium poſſe.

Scholion I.

§. 124. Tametſi quae *ab alio* exiſtunt, *contingentia* vocari debeant, nec ullo pacto immutabilia dicenda ſint; nihilominus, eorum exiſtentia *in actu* ſuppoſita, ea ipſa *neceſſaria ex ſuppoſitione* vocantur a Philoſophis, atque penes ipſos certiſſimum hujuſmodi manet Axioma: *Unumquodque neceſſario eſt, quando eſt*. Eſſet quippe, ſimulque non eſſet, ſi quod eſt, eodem ſimul inſtanti eſſe non poſſet.

Scholion II.

§. 125. Eadem perinde ratione de iis ſermo hic noſter eſt habendus, quae jam in *exiſtentia* fuere, quaeque praeteriiſſe novimus. Inde ergo colligi alterum facile poteſt Axioma vetuſto in Scholis uſu receptum; nimirum: *Fieri nullatenus poteſt, ut non fuerit, quod olim fuit*. Re quidem ipſa fuiſſet ſimul & non fuiſſet, ſi poſſet fieri, ut minime fuerit quod olim fuit.

Prae-

Praeterita non fuiſſe, inquit Angelicus Praeceptor D. Thomas (a) *contradictionem implicat. Sicuti enim contradictionem implicat, dicere, quod Socrates ſedet, & non ſedet; ita quod ſederit, & non ſederit. Dicere autem, quod ſederit, eſt dicere, quod ſit praeteritum; dicere autem, quod non ſederit, eſt dicere, quod non fuerit. Unde praeterita non fuiſſe, non ſubjacet divinae Potentiae: Et hoc eſt quod Auguſtinus dicit contra Fauſtum* (b): *Quiſquis ita dicit;* ſi Deus Omnipotens eſt, faciat, ut quae facta ſunt, facta non fuerint; *non videt hoc ſe dicere:* Si Deus Omnipotens eſt, faciat ut ea, quae vera ſunt, hoc ipſo, quod vera ſunt, falſa ſint. *Et Philoſophus dicit* VI. Ethicorum, *quod hoc ſolo privatur Deus, ingenita facere, quae facta ſunt.*

PROPOSITIO I.

Quod per ſuam eſſentiam exiſtit, neceſſario exiſtit.

§. 126. *Demonſtratio.* Neceſſarium exiſtentiae illud recte definitum fuit, quod exiſtentiae ſuae cauſas nullas agnoſcit (§. 98.)

(a) I. Part. quaeſt. 25. art. 4.
(b) Lib. XXVI. Cap. V.

98.) atqui illud, quod per ſuam eſſentiam exiſtit, exiſtentiae ſuae cauſas non habet: Ergo neceſſario exiſtit &c.

Probat. min. Soritica methodo: Exiſtere per eſſentiam illud dicitur, quod in ſe, cur exiſtat, rationem continet (§. 120.) quod in ſe propriae exiſtentiae rationem habet, a ſe quoque exiſtens jure dici poteſt (§. 122.) quod a ſe exiſtens dicitur, ab alio non exiſtit; quod ab alio non exiſtit, exiſtentiae ſuae nullas cauſas praeter ſeipſum agnoſcit: Ergo illud, quod per ſuam eſſentiam exiſtit, exiſtentiae ſuae cauſas non habet; & conſequenter ipſum exiſtit neceſſario.

COROLLARIUM.

§. 127. Ergo neceſſario illud etiam exiſtit aut extitit, quod neceſſario exiſtit quando eſt, aut quod neceſſario olim fuit (§. 124. §. 125.) unumquodque enim, quod ex ſuppoſitione neceſſario exiſtit, aut. fuit, nullas tunc temporis exiſtentiae ſuae cauſas habere videtur.

PRO-

PROPOSITIO II.

Exiſtentia eorum Entium, quae ab alio ſunt, ab eorundem eſſentia diſtinguitur.

§. 128. *Demonſtratio.* Quae diſtincta ſunt inter ſe, ſeipſis ſunt diſtincta; per id enim unum non eſt aliud, per quod eſt ſua eſſentia id quod eſt (§. 9.): Atqui ea quae *ab alio* ſunt, ſeipſis diſtincta ſunt ab eo, a quo ſunt: Ergo Exiſtentia eorum entium, quae *ab alio* ſunt &c.

Prob. min. Eorum *Entium* quae *ab alio* ſunt, tota exiſtentiae ratio in alio (ſuprema nempe cauſa) ſpectanda eſt, atque in illo uno quaerenda; quum illud, quod per ſuam eſſentiam non exiſtit a ſe exiſtens recte dici nequeat (§. 123.) ſed ratio hujuſmodi, per quam *Entia*, quae ab alio ſunt, exiſtere dicuntur non eſt ipſa *Entium* eſſentia, alioquin illa per eorum eſſentiam exiſterent; quod repugnat (§. 121.) Ergo exiſtentia ab eadem *Entium* eſſentia diſtinguitur; Ergo ea quoque quae *ab alio* ſunt, ſeipſis diſtincta ſunt ab eo, a quo ſunt; ac conſequenter Exiſtentia eorum *Entium*, quae *ab alio &c.*

Co-

Corollarium.

§. 129. Exiſtentiae itaque ab eſſentia diſtinctio ejuſmodi nihil plane eſt aliud, niſi ea quae ſolet intercedere cauſam inter & effectum quempiam diſtinctio: Quemadmodum enim effectus ideo *ab alio* eſt, quia ipſe efficientiae ſuae cauſa eſſe nequit, ac proinde tota, cur efficiatur, ratio in cauſa reſidet; uno verbo, idem à ſua cauſa diſtinguitur; ita Exiſtentia eorum *entium*, que *ab alio* ſunt, *realiter*, ut ajunt, ab eorundem eſſentia diſtinguenda eſt.

Scholion.

§. 130. Vulgare omniumque vel deteriorum Philoſophorum tritum illud ſermone atque ore adagium: *Non ſunt multiplicanda Entia abſque neceſſitate*: opportune rei noſtrae accomodare poſſe mihi videor. Nihil equidem aut antiquius aut ſolemnius Thomiſtis, caeteriſque inanium ſubtilitatum conſarcinatoribus Peripateticis eſſe conſuevit, quam ſi, oblata rerum ſecernendarum neceſſitate, de iiſdem diſputarent, aut inter adverſos Scholarum ſectatores lis eſſet aliqua dirimenda; aut ſi demum opinio oppoſita inter utramque partem ſancienda

eſſet

eſſet aliqua, id nonniſi ingenti *entitatum*, ſive *formalitatum*, ut ajebant, congerie, novoque earum in dies atque indicibili pene incremento firmaretur. Proh improbum ſane laborem, ac nonniſi praeſtantioribus torquendis abſque fructu ingeniis idoneum! Quum itaque praeclariſſimam, quantum rei demonſtrandae patitur natura, veritatem in hiſce Ontologicis Inſtitutionibus conſectari ſemper conſtanti cogitatione & conſilio decreverim, atque ab omni ſcholaſticarum ſectarum pugna perpetuo abhorrere, idcirco ut a ſupervacaneo earundem *entitatum* augmento temperarem, praefatam eo pacto Propoſitionem, tum exponendam, tum demonſtrandam curavi. Philoſophis quippe Thomiſtis uſitatum eſt & inveterata opinione conſecratum, *Entis* quod *ab alio* eſt exiſtentiam, *realem entitatem* quandam eſſe ab illius eſſentia *realiter* diſtinctam, in eaque receptam; adeo nimirum, ut quemadmodum per figuram, quae a ligno aliud eſt, lignum ipſum figuratum dicitur, ita per exiſtentiam, quae ſit aliud ab eſſentia *Entis*, *Ens* ipſum formaliter exiſtat. Attamen quid ſupervacaneum magis commi-

niſci

niſci poterant? Enimvero *Entitas* illa, ſive forma, quam *Petri ex. gr.* exiſtentiam appellant Thomiſtae, non minus nihil eſt reipſa, quando *Petrus* in rerum natura non exiſtit, ac tunc ſit purum putumque nihil ipſa tantum *Petri* eſſentia. Vel ergo illa *entitas exiſtentialis* (ſic mihi linguae inopia loqui fas ſit) indiget alia forma a ſe diſtincta, ut, quum *Petrus* producitur, extra ſui nihilum & ipſa ponatur; vel non indiget. Si indiget; quaero de illa alia forma, per quid *formaliter* deſinat eſſe *metaphyſice poſſibilis*, & fiat actu; atque ita deinceps in infinitum. Si non indiget, ſeipſa *formaliter* tranſit a ſtatu *metaphyſicae poſſibilitatis* ad ſtatum actualitatis: Ergo etiam ipſa *Petri* eſſentia independenter a forma diſtincta optime poteſt extra ſui nihil conſtitui; etenim, quibus ex aequo convenit *metaphyſica poſſibilitas*, eodem modo exiſtentiam obtinent, atque in rerum natura collocantur. Exiſtentia itaque creaturarum non eſt *entitas*, ſive forma realis diſtincta reipſa ab earum eſſentia, eique tanquam rei alteri ſuperaddita.

Co-

COROLLARIUM I.

§. 131. *Exiſtit contingenter quod per ſuam eſſentiam ab exiſtentia indiſtinctam non exiſtit*. Enimvero, quod non exiſtit per ſuam eſſentiam, poteſt non exiſtere, quin deſinat eſſe id, quod eſt, ac proinde, quin ulla hinc ſequatur contradictio. (§. 121.) Igitur ita exiſtit, ut oppoſitum non repugnet (§. 105.) atque adeo nonniſi contingenter exiſtit.

COROLLARIUM II.

§. 132. *Quum quod per ſuam eſſentiam non exiſtit, contingenter exiſtat, ab alio habet quoque, ut exiſtat*. Etenim quod contingenter exiſtit, rationem in ſemetipſo nequaquam continet, cur exiſtat (§. 121.); quippe ſi ſecus eſſet, neceſſario exiſteret (§. 120.) Ergo ratio, cur hujuſmodi *Ens* exiſtat continetur in alio ab eo prorſus diſtincto (§. 123.) ac proinde ab alio habet, ut exiſtat.

COROLLARIUM III.

§. 133. Igitur nihil exiſtit abſque ratione cur exiſtat. Aut enim aliquid exiſtit *a ſe* vel *ab alio* (§. 123.) Quod *a ſe*, videlicet per ſuam eſſentiam exiſtit, ita exi-

 ſtit,

ſtit, ut ipſa ſua eſſentia ſit ratio cur exiſtat (§. 120.) Quod vero exiſtit *ab alio* in hoc totam habet rationem cur exiſtat: Ergo nihil exiſtit abſque ratione cur exiſtat.

SCHOLION.

§. 134. Cur aliquid vel *a ſe*, vel *ab alio* exiſtat ſive non exiſtat, ratio, notioni illi affinis eſt, ſive principio illi proxima videtur in ſcholis vulgatiſſimo, quod Clar. Volfius (a) *rationis ſufficientis* nomine appellat. Philoſophis quippe omnibus ſolemne ſemper fuit, nihil *gratis*, hoc eſt abſque *ratione ſufficienti* conſtituere, eorundemque proprium ſemper habitum fuit rerum omnium *rationes ſufficientes* inveſtigare, necnon in earum cauſas & fontes inquirere: Qua ſane philoſofia nihil validius eſt & aptius, quum ad vitam privatam pacate ducendam, tum quoque ad Reipublicae tranquillitatem atque ſalutem. Et ad privatam potiſſimum vitam quod ſpectat, ejuſmodi inveſtigatio, ab inaniſſimis animum tuetur penituſque exuit affectibus, & corpus rite gubernare, & bene rationi docet obtemperare; quod con-

(a) Part. I. *Ontolog.* §. 71.

contra imperito vulgo uſuvenire novimus. Ad rem noſtram proinde non concinne minus, quam graviter Lucretius (a)

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia caecis
In tenebris metuunt; ſic nos in luce timemus;
Interdum, nihilo quae ſunt metuenda magis, quam
Quae pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi tenebraſque neceſſe eſt
Non radii ſolis, neque lucida tela diei
Diſcutiant, ſed naturae ſpecies ratioque.

Ita *ex. gr.* ex eo quod triangulum tribus circumſcribatur lineis, ipſum quoque inſtructum angulis intelligimus; ac proinde ternarius laterum numerus appellatur *ſufficiens ratio* numeri ternarii angulorum; ſufficit enim, ut percipiamus, cur triangulum tres angulos habeat. Quotquot igitur, ut veros decet philoſophos rerum exiſtentium ratio-

(a) Lib. III. v. 87. & ſeqq.

tionem genuinam tradunt, ii certe *rationem ſufficientem* explicare dicendi ſunt. Quapropter non in peculiaribus ſolum naturae phaenomenis enucleandis *ſufficiens ratio* hujuſmodi locum habet, verum ad explicandam etiam rerum quarumcumque exiſtentiam, quae generatim ex aequo omnibus competit, referri debet: Aut enim aliquid exiſtit *ab alio;* atque hinc ratio cur ipſum exiſtat in hoc *alio* ſe ſe prodit; aut exiſtit a ſe, ac proinde in ipſo tota exiſtentiae ſuae ratio invenitur, cur ipſum exiſtat. Quamobrem Deus ipſe Opt. Max. qui a ſemetipſo exiſtit, non *ſufficientem rationem* tantum cur exiſtat in ſe habere dicitur; verum etiam Carteſio perinde eſt ſive *rationem* ſive *cauſam* ſuae exiſtentiae habere affirmetur. Enimvero Deus, etſi a nullo principio pendere jure dicendus ſit, in ſe tamen *ſufficientem* habet propriae exiſtentiae *cauſam* ſive rationem; ſuam nimirum eſſentiam per quam neceſſario exiſtit. Ita etiam ſub *cauſae* nomine *rationem* hanc *ſufficientem*, cur Deus ſit, intellexiſſe reipſa viſus eſt Carteſius, qui in ſuis de Deo meditationibus ſic loquitur: *Nulla res exiſtit, de*

qua

qua non poſſit quaeri quaenam ſit cauſa cur exiſtat. Hoc enim de ipſo Deo quaeri poteſt, non quod indigeat ulla cauſa ut exiſtat, ſed quia ipſa ejus naturae immenſitas eſt cauſa, propter quam nulla cauſa indiget ad exiſtendum.

COROLLARIUM.

§. 135. Igitur *Nihilum exiſtentiae* nullam ſui *rationem ſufficientem* continet. Non exiſtit per ſuam eſſentiam, quia *non ens* vocatur (§. 12.) neque item *ab alio* exiſtentiam habet, quia ex recepto ab omnibus axiomate: *Nihili nulla cauſa*. Quicumque ergo *Nihili rationem ſufficientem* afferre conatur, is nullam reipſa tradit.

SECTIO II.

De vario exiſtentiae genere.

Conſtituta *exiſtentiae* natura, rectus diſſerendi poſtulare videtur ordo, ut de vario illius genere; quot ſint nimirum ejus ſumma capita; nonnulla aeque non explanemus ſolum, verum etiam ex mathematico more noſtro ad theoreticas quaſdam Propoſitiones referamus. Primum itaque,

quod rei jam exiſtenti propter ſui dignitatem convenire genus videtur, illud, quod *Perſona* dicitur, explicandum ſe ſe offert. Si qua namque res eſt, cui exiſtentiae ratio prae caeteris ſit tribuenda ea certe *Perſona* eſt, cujus hujuſmodi exhibetur clara

DEFINITIO I.

§. 136. *Perſonae* nomine ex omnium Philoſophorum calculo rationalis naturae individuam ſingularemque ſubſtantiam intelligimus: Ita *Petrus*, ſeu quilibet ſingularis homo per id *Perſona* eſt, per quod individua eſt ſubſtantia *Petri*, a ſubſtantia *Pauli*, caeterorumque hominum ſingularium diſtincta.

SCHOLION.

§. 137. Ne vero quae circa *ſuppoſitum* verſantur (quod diminuta quaedam & imperfecta eſſe videtur *Perſonae* ratio) negligere videamur; quod nimirum illud etiam ad inſtitutum noſtrum aliquatenus ſpectare non dubito; ideo ſit

DEFINITIO II.

§. 138. *Suppoſiti* nomine ſingularis intelligitur ſubſtantia ultimo completa ſui juris; quum nimirum univerſa concurrunt,

quae

quae ad conſtituendum quodlibet individuum ſingulare neceſſaria ſunt. Ita *Equi aut Canis ſuppoſitum* per id conſtituitur, per quod omnia conjunguntur, ut *Equus & Canis* individuae & ſingulares ſubſtantiae ſint.

SCHOLION I.

§. 139. Expendere hic, majoris perſpicuitatis ergo, neceſſe eſt *ſuppoſitum* non a *Perſona* tantum concipiendum eſſe diſtinctum, verum etiam utriuſque eſſentiale diſcrimen ita eſſe ſpectandum, ut quid rei irrationali, quid rei vero rationali conveniat perſpicuum atque aeque diſtinctum habere poſſimus. Enimvero niſi iſthaec doctrina & quae de illa diverſimode feruntur atque a Veteribus fuere uſurpata, ad rerum Theologicarum tractationem pertinere viſa eſſet, aut tanti modo non haberetur a nobis, aut nonniſi indiſcriminatim *ſuppoſitum* pro *Perſona*, ac *Perſona* pro *ſuppoſito* fuiſſent ſane recepta. Nunc vero intereſt plurimum *Perſonae* claram atque diſtinctam habere notionem in re Theologica pertractanda de Trinitate & Filii Dei Incarnatione, ob cujus ideae confuſionem ingentes

excitatae ſunt in Eccleſia olim turbae, & magna inde enata diſſidia. Attamen non uſque adeo *Perſonae* ejuſdem notionem memoratis modo Theologiae Capitibus prodeſſe affirmo; quinimo obeſſe jure contendo, niſi Perſonarum divinarum Ideas a rebus noſtris ſecernamus: Quae enim inter nos *Perſonae* exiſtunt ſingula nimirum hominum individua ita ad invicem diſcrepant, ut unius natura *Perſonalis* ab alterius natura ſejungatur. Non ita tamen de divinis *Perſonis* eſt opinandum, quarum eſt indiviſa natura, eademque in tribus *Perſonis* perſeverans. Quam ob cauſam decepti Photiniani, ad deinde Sociniani, *Trinitatem* divinam, tanquam contradictionem quid involvens rejecerunt. Appoſite itaque D. Thomas (a) tum etiam dilucide ac profunde more ſuo: *Aliud eſt*, inquit, *quaerere de ſignificatione hujus nominis* Perſona *in communi*, *&* *aliud de ſignificatione Perſonae divinae. Perſona enim in communi ſignificat ſubſtantiam individuam rationalis naturae, ut dictum eſt; individuum autem eſt, quod eſt in ſe indiſtinctum, ab aliis vero diſtin-*

(a) I. Part. quaeſt. 29. art. 4. *in corpore*.

diſtinctum. Perſona igitur in quacumque natura ſignificat id quod eſt diſtinctum in natura illius; ſicut in humana natura ſignificat has carnes, & haec oſſa, & hanc animam, quae ſunt principia individuantia hominem: Quae quidem, licet non ſint de ſignificatione Perſonae in communi, ſunt tamen de ſignificatione Perſonae humanae. Diſtinctio autem in divinis non fit, niſi per relationes originis, ut dictum eſt ſupra. Relatio autem in divinis non eſt ſicut accidens inhaerens ſubjecto, ſed eſt ipſa divina Eſſentia; unde eſt ſubſiſtens, ſicut divina Eſſentia ſubſiſtit .... Perſona igitur divina ſignificat relationem ut ſubſiſtentem.

S C H O L I O N II.

§. 140. Quaecumque ſive ad *ſuppoſiti* ſive ad *Perſonae* conſtitutionem confluere debent, ut individua quaepiam ſubſtantia habeatur, *Principium individuationis* Scholaſtici agreſti hujuſmodi effato appellari voluerunt. Mirum profecto ac pene a ſana mente incredibile, quot Diſputationes excitatae, quot Volumina improbo plane labore elucubrata, quo demum animorum aeſtu & contentione a veteribus noſtris utrimque fuerit

fuerit decertatum, ut *Magnum hoc & admirabile Principium* in lucem, pro ſua unuſquiſque opinione, ſeu potius phanatica viſione, proferret ac ſtabiliret. Verum ut ingenue fatear quod ſentiam, tam perſpicua & aperta mihi hujuſce rei explanatio eſſe videtur, ut ſatis ex praefatis Definitionibus tota dirimi & abſolvi valeat difficultas. Neque vereor praeterea, quin conſulenti Dialecticam noſtram (a) quid ea videlicet ſint *Perſonae* etiam in individuo conſtituentia, ſtatim in compertum eſſe poſſit; ubi univerſa vulgatiſſimo hoc hexametro complexi fuimus.

Forma, Figura, Locus, Tempus, Stirps,
Patria, Nomen.

SCHOLION III.

§. 141. Reliquum eſt itaque, ut, *Perſonae* nec non *ſuppoſiti* traditis notionibus, alterum exiſtentiae genus; *ſubſtantiam* nimirum, explicandam aggrediamur: Quae profecto *Perſonae* notioni nullatenus poſthabita fuiſſet, niſi praeſtantioris in *Perſona* ipſa dignitatis rationem habuiſſemus. Ante-

(a) Cap. I. Sect. III. §. 7.

tequam vero ad Definitionem progrediamur, ſit.

AXIOMA.

§. 142. *Subjectum*, philoſophico ſenſu, *ita recipit aliud a ſe diſtinctum, ut ab eo determinetur & perficiatur*. Sic organicum corpus *ſubjectum* dicitur animae; & lignum figurae. Recipitur quippe anima in corpore, & figura in ligno; ipſumque corpus ab anima, & lignum a figura determinatur, certoque modo perficitur.

COROLLARIUM.

§. 143. Igitur *ſubjectum* illud eſt prius, quod, ut exiſtat, in alio recipi haudquaquam indiget. Unde

DEFINITIO III.

§. 144. *Subſtantia* illud dicitur *ſubjectum* ejus quod eſt; quod ita exiſtit, ut *intrinſecus* a nullo communi ac priori ſubjecto in ſui exiſtentia pendeat; idemque ſemel poſitum per ſe eſſe valeat ac conſervari.

COROLLARIUM.

§. 145. Igitur *ſubſtantia eſt aliquod per ſe exiſtens ſubjectum*: Illud enim per ſe exiſtit, quod a nullo priori in ſui exiſtentia pendet.

SCHO-

SCHOLION.

Caveamus oportet, ne *ſubſtantia per ſe* exiſtens & ſubſtantia *a ſe* exiſtente promiſcue accipiantur: Exiſtit enim *per ſe* quod ab alio ſubjecto, ut exiſtat, non pendet; exiſtit vero *a ſe*, ſive *neceſſarium* eſt *exiſtentiae*, quod nulla prorſus indiget cauſa, ut exiſtat (§. 98.)

COROLLARIUM.

§. 146. Tametſi *ſubſtantia* ſubjectum dicatur illud, quod aliquid recipit, ut ab eodem determinetur & perficiatur (§. 142. §. 144.) atque ut Clar. loquitur Volfius (a) *modificabile* ſit, *quod determinationum intrinſecarum ſit capax*; attamen haſce illud ipſum mutationes patitur, quin ſubſtantia per ſe exiſtens eſſe deſinat (§. 145.) Ita humanum corpus animam recipit ab eaque determinatur, perficitur & immutatur, ut tamen a ſubſtantia corporis per ſe exiſtentis nunquam deſciſcat. Illud ipſum a ſanitatis ſtatu in varia morborum immutationumque genera tranſit, quin deſinat ejuſdem corporis eſſe per ſe exiſtens ſubſtantia. Ita *lapis*, *lignum*, aliaque id

genus

(a) Part. II. Ontolog. §. 764.

genus plura eidem manent, aut aliis ſimilibus mutationibus obnoxiae; neque inde tamen eorum deperit ulla ratione *ſubſtantia*.

SCHOLION I.

§. 147. Impoſſibile factu cenſeo ſingulas inter Philoſophos concertationes enarrare, & quot opinionum diſcrimina ex non ſatis perſpicua aut enucleata *ſubſtantiae* notione invaluerint recenſere. Inter veteres Graecos Philoſophos inprimis de univerſi hujus adſpectabilis *ſubſtantia* diu ita diſputatum eſt, ut qui eorum modo Diſputationes perlegere cupiat, anceps magis quam prius eorum libros dimittere cogatur. Extiterunt nonnulli, qui unam, eamque immenſam atque immutabilem primam Univerſi ſubſtantiam dicerent; quemadmodum Eleatenſes nec non Ariſtotelem fuiſſe erudimur: Alii plures ac prope infinitas eſſe tradiderunt; ut Democriti ſectatores: Alii tandem impie magis, quam vere; ut David a Dinando, Abaleardus, Jordanus Brunus; & noviſſime Benedictus Spinoza; ſubſtantiam hanc Univerſi primam Deum ipſum eſſe putaverunt. Suum praeterea ſyſtema ſubſtantiarum commenti ſunt Gaſſendiſtae,

Car-

Carteſiani ac Newtoniani; nec a nova ſubſtantiae theoria adinvenienda abfuit quoque Leibnitius; cujus fortaſſe nec Lockius cudere recentem aliam dubitaſſet, ne minus caeteris excellere in inveniendo videretur, niſi perſuaſum habuiſſet; nullam nos claram diſtinctamque ſubſtantiarum comparare poſſe notionem (a). Verum, ut quid hac ſuper re mihi lubet opinari ingenue proferam, tam ſtultis idcirco decepti & hallucinati ſunt ſuaſionibus memorati paulo ante Philoſophi, tum quod ab ideis ſubſtantiae abſtractis ad naturae explicanda phaenomena continuo gradum facere non abſtinuerint, tum quod ex particularium ſubſtantiarum obſcuris confuſiſque ideis recte arguere poſſe exiſtimaverint, nullam nos aeque claram diſtinctamque circa abſtractam aut genericam *ſubſtantiam* aſſequi poſſe perceptionem: Quo ſane nihil eſſe conſtat abſurdum magis. Ex vitioſis igitur hiſce fontibus Spinoziſmus ortum habuit: Etenim quum Benedictus Spinoza definiat (b) *ſubſtantiam* his verbis: *Per ſubſtantiam*

(a) Lib. I. Cap. III. §. 18.
(b) *Aethices* Part. I.

tiam intelligo id quod in ſe eſt, & per ſe concipitur; neque ullum exiſtentiae *in ſe* ab exiſtentia *in alio* diſcrimen conſtituat, facile inde inferri ab eo potuit, Deum nimirum univerſas ſubſtantias immenſitate ſua complectentem unicam eſſe hujus Mundi ſubſtantiam. A quo perinde errore non admodum diſtare viſus eſt Carteſius, qui *ſubſtantiam* definierat (a) *Rem, quae ita exiſtit, ut nulla alia re indigeat ad exiſtendum.* Quum enim creatae quaelibet ſubſtantiae Deo ſupremo rerum omnium Conditore, ut exiſtant, opus habeant, illas proinde ſubſtantias eſſe haudquaquam, ſtatim conſequitur; quemadmodum eodem loco Carteſius ipſe docuiſſe reperitur: Ex quo etiam inferri ab eo neceſſe fuiſſe legimus hujuſmodi Corollarium; *unicam nimirum eſſe ſubſtantiam Deum.* Non eſt hujus loci & temporis tanta refellere tamque impia Philoſophorum commenta, eo quia inſtitutae brevitatis neceſſitas urget, ut ad utiliora tranſeamus.

Sco-

(a) Part. I. *Principior.* art. 51.

Scholion II.

§. 148. *Perſonae* atque *ſubſtantiae* tertium exiſtentiae genus adjacet; *Accidens* nimirum, de quo lata in tota Phyſices Provincia differendi occurrit ſaepiſſime occaſio. Duplex porro in Scholis diſtinguitur *Accidens*; quorum prius *logicum*, *phyſicum* alterum ſolet appellari. Ut a priori itaque exordiamur ſit

Definitio IV.

§. 149. *Accidens logicum* id omne vocatur; *quod rei advenit per ſuam eſſentiam & proprietates conſtitutae*, *eamque afficit atque denominat*. Sic veſtis, qua homo tegitur, eſt illi *Accidens logicum:* Ei ſiquidem accidit eſſentialiter jam conſtituto, ſuiſque omnibus proprietatibus praedito, atque ita ipſum afficit, ut hinc *veſtitus* dicatur.

Corollarium I.

§. 150. Quum ergo etiam *ſubſtantia*, ſive *Ens per ſe exiſtens*, poſſit alteri *eſſentialiter* conſtituto ita advenire, ut ipſum denominet, liquido apparet, *ſubſtantiam* hoc modo ſumtam habere optime poſſe rationem *Accidentis logici*, ſi alteri ſubſtantiae comparetur. Hinc

Corollarium II.

§. 151. *Subſtantia pro Ente per ſe exiſtente uſurpata* (§. 145.) *& accidens logicum nullatenus opponuntur.*

Definitio V.

§. 152. *Accidens phyſicum* eſt *Ens* inhaerens ſubjecto; videlicet ea ratione ſubjectum afficiens, ab eoque dependens, ut ipſa ſua natura neque fieri, neque eſſe poſſit reipſa, quin in ſubjecto ſit, & in illo producatur. Hujuſmodi ſunt *colores*, *ſapores*, aliaeque corporum affectiones ſenſibiles: Adeo namque a ſubjecto dependent, quod afficiunt, ut nequeant natura ſua ſine *ſubjecto* fieri, neque abſque illo conſervari, & reipſa exiſtere.

Corollarium I.

§. 153. *Subſtantia*, ſive *Ens per ſe exiſtens* adeo opponitur *accidenti phyſico*, ut nullum prorſus inter illa medium haberi poſſit. Etenim exiſtere *per ſe* & inhaerere ſubjecto ſunt modi exiſtendi penitus inter ſe oppoſiti. Hinc

Corollarium II.

§. 154. Omne *Ens*, vel eſt *ſubſtantia* & *accidens logicum*; (§. 151.) vel *accidens eſt phyſicum*. (152.)

SCHOLION I.

§. 155. Celebris eſt, ac proinde hoc loco haudquaquam negligenda, diviſio *accidentis phyſici*, in accidens *ſimpliciter abſolutvm*, & in accidens *modale*. Appellant ſcholaſtici accidens *ſimpliciter abſolutum*, quod ſubjecto quidem inhaeret; verum non ita, ut repugnet prorſus, illud exiſtere abſque ſubjecto. *Modale* vero illud nuncupare ſolent, quod ita ab eo, quod afficit ſubjecto dependet, ut nequidem concipi ſine ſubjecto poſſit, nedum abſque illo per aliquam potentiam exiſtere. Hujuſmodi eſt ligni *rotunditas:* fieri ſiquidem nequit, ut concipiatur *rotunditas*, quin lignum, ſive *ſubjectum*, in quo ea ſit, attingatur, mentique reluceat. Haec tamen Recentioribus, nec mihi ſane adridet *Accidentis* diviſio: Nullum enim excogitari rite valet accidens *ſimpliciter abſolutum*, ſed omnes penitus rerum tam ſpiritalium, quam corporearum affectiones tanquam indivulſae earum modificationes habendae ſunt; unde omne quod eſt, in *rem*, & *modum*, quemadmodum in Dialectica noſtra (a) tradidimus

(a) Cap. I. §. 2.

dimus diſtribuere neceſſe eſt. Cur autem ſcholaſtici tantopere laborarint, ut *accidentia abſoluta a modalibus* ſecernerent, illud in cauſa fuiſſe non immerito opinor, quod *abſolutorum accidentium* uſu & doctrina, quae de ſpeciebus panis & vini in venerabili Euchariſtiae ſacramento dici vulgo ſolent, facile ipſi conciliare aut explicare ſe poſſe putaverint. Verum de his fuſius ſuo loco ſermonem rediturum fore confido.

SCHOLION II.

§. 156. Quae autem ſit *modi* natura, neque inter Recentiores ipſos plane convenit. Putant nonnulli, quamplures ſubſtantiae *modos* quid reale eſſe, ab ipſa re prorſus diſtinctum, eique ſuperadditum. Contra vero contendunt alii, *modum* quemlibet, nihil plane eſſe aliud, quam rem ipſam ſive ſubſtantiam ita ſe habentem; rem vero ita ſe habere, quatenus praeciſe rebus aliis extrinſecis comparatur, & cum illis confertur. Etſi autem non inficiar, quamplures rei *modos* aut meras eſſe extrinſecas ſubſtantiae denominationes, aut ipſos in ſola negatione conſiſtere; opinor tamen, id de omnibus dici nequaquam

poſſe, ſed *modos* eſſe admittendos quoſdam, qui *reale* & *poſitivum* aliquid ſint, & a re modificata realiter diſtinctum.

S C H O L I O N III.

§. 157. Quaecumque exiſtentia atque in *actu* conſtituta (ſive ſubſtantia ſive modificationes accidentales ea fuerint a nobis huc uſque definienda) in ſemetipſis exiſtentia ſpectanda erant, nec alio viſa ſunt indigere, ut ejuſmodi eſſe conciperentur. At quae deinceps in actu poſita a nobis enucleanda ſuperſunt in hac Sectione; quaeque *Relativa* a Philoſophis appellantur; nulla ratione intelligi, ac quoquomodo exiſtere ea ipſa valent, niſi in iis expendendis ad aliud mens noſtra referatur. Quare quum de iiſdem tanquam in hac ſcientia perinde neceſſariis agere ſtatuerimus, ſit proinde

D E F I N I T I O VI.

§. 158. *Relativa* exiſtentia ea eſt, quae rebus ineſt ex earum comparatione ad extrinſeca. Hujuſmodi ſunt *ex. gr. aequalis*, vel *ſimilis* rationes. Hae enim corporibus non conveniunt, niſi quatenus ad alia referuntur, atque cum illis penes *quantitatem* aut *pulchritudinem &c.* ut dicemus exinde, comparantur.

Corollarium I.

§. 159. Igitur *relatio* eſt qualiſcumque nexus unius rei cum alia, quae valeat nos, una percepta, ad alterius cognitionem continuo perducere.

Corollarium II.

§. 160. Quae itaque ex adverſo *relativa* haudquaquam ſunt, ſtatim & per ſe, ut ajunt, intelliguntur, quin mens ad aliud ullo modo referatur. Ita hominis notio, quae *abſoluta* eſt per ſe ſe illico percipitur, nec ipſa haudquaquam exigit, ut alia advocetur notio, cui homo comparetur.

Scholion I.

§. 161. *Relativa* omnia (ut eadem ad quaedam ſuprema Capita diſtincte referantur) triplici, ut Philoſophis huc uſque libuit, genere conſtant. Vel enim relativus hic nexus *realis* eſt, vel *intellectualis*, vel demum *moralis*. Qui *realis* vocatur in ipſa rerum natura conſiſtit; veluti nexus ille ſe habet Patrem inter & Filium, aut inter duo ſimilia corpora, vel aequalia: Qui deinde *intellectualis* dici ſolet, una hominum ſtat opinione, eaque tantum confirmatur; quemadmodum relatio eſt, quae

virum inter & uxorem, inter actiones quaſdam aut leges honeſtatis aut turpitudinis intercedit; de quibus inferius uberior, quam hic opportuniorque loquendi redibit occaſio: Qui denique *moralis* definitus aut tertio loco a nobis recenſitus eſt nexus, ille explicari conſuevit, qui *ex. gr.* inter Diſciplinarum principia & inde educta Corollaria, atque inter alia id genus, quorum unum ab altero haudquaquam pendere dicitur: Quanquam, ut verum fatear quod ſentio, haſce relationes ad prius equidem caput libentius referrem. Quae itaque prioris generis eſſe dicta ſunt, ita inter ſe relativa ſunt, ut unum abſque altero cognoſci nequeat. At ſi de intellectualibus aut moralibus ſermo habeatur, vulgatiſſimum hoc Axioma frequenter a Philoſophis uſurpatum: *Relativa ſunt ſimul cognitione & natura:* vim aeque non habet. Quinimo monendum eſt, ne ejuſmodi relationes generales cenſeantur. Quod quum quidam non animadvertiſſent; aut ex praeſentium populorum & Patriae, in qua degunt, moribus, prava de Veteribus & erronea judicia ſibi cuderunt plurima;

aut

aut ex iis Diſciplinarum ſyſtematibus, quae ipſi animo conceperant, de eorum quoque ſyſtematibus perperam judicarunt. Ne ipſi, quam par eſt, longiores ſimus, id unum monuiſſe ſufficiat, non eandem omnibus & omni tempore ab Orbe condito hominibus fuiſſe cogitandi rationem, neque idem, quod modo in Diſciplinis humaniſque Artibus ſentiunt, fuiſſe perpetuo opinatos. Satis ad aſſerti hujus breviorem expeditioremque confirmationem fore exiſtimo, ſi Logicam conſulatis noſtram (a) ubi generatim de varia loquutionum vocabulorumque poteſtate agebamus, pro varia perinde ad Gentium mores, inſtituta, opiniones, Religiones aliaque plurima, *relatione;* atque inde compertiſſimum fieri poſſe non dubito, quam caute in hiſce duabus *Relativis* ſtatuendis incedendum ſit, ne facile decipiamur.

SCHOLION II.

§. 162. Ut ſupervacanea ſcholaſticorum commenta penitus e medio auferantur, atque rejiciatur deinceps quaelibet cavillandi occaſio, *fundamentum relativae denominatio-*

(a) Cap. II. Sect. VI.

tionis illud ipſum mihi eſt, quod iidem ſcholaſtici *rationem fundandi*, ſive *fundamentum proximum relationis appellant*. Neque immerito. Etenim quum ipſi formalitatum multiplicandarum genio indulgentes in Relationibus quibuslibet tria ſemper diſtinguant; *ſubjecta* primo ſcilicet, inter quae nexus eſt & *Relatio; fundamentum* deinde; ac *rationem fundandi* poſtremo; contra ego contendo nonniſi *fundamentum* acri judicio a nobis eſſe ſpectandum. Quae namque *Relatio* ut ſtatuimus (§. 158.) nonniſi ex rei alicujus cum alia comparatione conſurgere valeat, eadem ipſa ex ſuamet indole aliud ſubjectum, ad quod referatur, neceſſario poſtulat. Cur autem aliquod *Relativum* ſit ab *Abſoluto* aliquo diſtinctum, illud ipſum *fundamentum*, ſive tota eſt *ratio fundandi*, per quam *Relatio* conſtituitur; quae praeterea illud unice eſt, quod attingitur in rebus, quum earum una ad aliam refertur, atque adeo quod mentem determinat, ut, comparatione facta, res ipſas *relative* denominet. Porro ſi aequo attentoque ſtudio animadvertere nequaquam pigeat, conſtabit prorſus, unde-

nam

nam relativae *ſimilium* & *diſſimilium*, *aequalium* & *inaequalium*, *cauſae* demum atque *effectus* denominationes deriventur. Perſpicuum quippe hinc fiet, nullam eſſe relationem *ſimilitudinis* & *diſſimilitudinis*, *aequalitatis* & *inaequalitatis*, quae ſit reale aliquid reipſa diſtinctum a *proxima ratione fundandi*, ac proinde a relativa eorum ſubjectorum denominatione, inter quae nexus eſt, & *Relatio*. Quum vero plura ſint, in quibus *Relatio* ipſa locetur; hinc totidem definitionibus univerſa complecti curabimus: Unde ſit .

DEFINITIO VII.

§. 163. *Convenire duo in aliqua ratione dicuntur*, quum ea ſunt hujuſmodi, ut ſi penes illam rationem ſpectentur, atque inter ſe mutuo conferantur, diſcerni eorum unum ab altero nequaquam liceat. Sic duo alba *ex. gr.* convenire dicuntur in albedine, propterea quod, mutua eorum penes albedinem comparatione inſtituta, fieri minime queat, ut unum ab alio diſcernatur.

SCHOLION.

§. 164. Quod de *convenientia* affirmamus, de non convenientia intelligendum iti-

itidem eſt. Enimvero, quemadmodum duo *alba* ex eo praeciſe quod ſint alba, conveniunt in *albedine*, ita hoc ipſo praeciſe, quod alterum duorum corporum *album* ſit, & alterum *nigrum*, in qualitate colorum haudquaquam conveniunt.

DEFINITIO VIII.

§. 165. *Similia* ſibi mutuo dicuntur illa, quae in qualitate conveniunt, *diſſimilia*, quae in qualitate nequaquam conveniunt. Sic duo alba, quatenus alba, *ſimilia* inter ſe ſunt; at vero *diſſimilia* album & nigrum: Conveniunt enim illa in qualitate; haec vero nulla ratione.

DEFINITIO IX.

§. 166. *Aequalia* inter ſe illa dicuntur, quae in quantitate conveniunt; *inaequalia* vero ex adverſo, quae in quantitate minime conveniunt. Sic duo ligna palmaris longitudinis *aequalia* haberi debent, ſi conferantur inter ſe mutuo penes quantitatem: Contra vero *inaequalia* ſunt ligna, quorum alterum palmaris, alterum bipalmaris ſit longitudinis; illa enim, minime vero iſta, in quantitate conveniunt

DE-

Definitio X.

§. 167. *Perfecta* illa appellari poſſunt, quae; aut attributorum numero & praeſtantia; aut quae fini, ad quem ſunt inſtituta reſpondent, ac perbelle cohaerent; aut quae unitate & ſimplicitate excellunt & decorantur: Imperfecta vero, quae ab hiſce expoſitis plus minuſve deficiunt.

Corollarium.

§. 168. Quacunque ex tribus enumeratis ratione *perfecta* dicantur, ex relativa ad aliud comparatione, ut patet, intelliguntur.

Scholion.

§. 169. Uno Deo Opt. Max. excepto, qui infinite perfectus eſt, reliqua creata omnia, etſi numeris omnibus, ut ajunt, abſoluta nobis mente ea ipſa comminiſcamur, relativa duntaxat perfectione gaudent. Enimvero Deus *intenſive* in Scholis, nec non *extenſive* perfectiſſimus nuncupatur: *Intenſive* quidem ita, ut nulla ejus perfectio augeri amplius valeat; *extenſive* autem, ut nulla ab humano ingenio perfectio excogitari poſſit, quae in ipſo non reperiatur; ſive ut rectius loquamur nulla

ca-

earum ſit in tota perfectionum poſſibilitate, quae in ſupremo Ente haudquaquam habeatur. In tanta ergo & infinite patenti perfectionum amplitudine quaenam cum aliis perfectionibus inſtitui comparatio poteſt? Nulla profecto. Quae vero ſunt caetera, tametſi perfecta non immerito relative dicantur, nulla de re tamen magis indiſtinctas, incertaſque ſibi effingunt homines notiones; nec vulgus tantum, verum etiam eruditi ipſi & rerum profunda cognitione praecellentes; quam ut primum de *Perfectione* ſermocinari aggrediuntur. Paſſim quidem res perfectas magis aut minus omnes dicere ſolemus: At ſi a nobis efflagitet aliquis, ut quid *Perfectio* aut contra quid *Imperfectio* ſit, explanemus; fortaſſe ſi ingenui eſſe velimus, dubio procul aqua haerere cogemur; ſin autem nonnihil explicare conemur, vocabulis obſcurioribus, & vulgi praejudiciis immixtis relativam *Perfecti* ideam proferemus tandem.

DEFINITIO XI.

§. 170. *Ordinata* ea dici debent, quae in plurium *Entium*, ſive permanentium, ſive ſucceſſivorum ſerie ita connexa locantur,

tur, ut antecedens conſequens reſpiciat, ejuſque *rationem ſufficientem* contineat; conſequens vero ipſius antecedentis finis ſit & perfectio; potiſſimum autem ad communem aliquem finem inſtituta ſint atque directa.

Scholion.

§. 171. Quae in *ordinatis* rebus potiſſimum poſtulantur ad quatuor Canones referuntur; ut *ordinata* nimirum inſtruantur ratione. I. Breviori. II. Faciliori. III. Suaviori. IV. Utiliori. Quum enim Ordo, ſive a Natura, ſive ab Arte & hominum induſtria inſtitutus idcirco fuerit, ut quae confuſa prius & permixta hominibus non parum incommodarent, ea ipſa poſtmodum commoda non exigua compararent, haec profecto nonniſi eorum quatuor uſu haberi queunt; ut cuipiam ſerio cogitanti patet.

Corollarium.

§. 172. Itaque *inordinata* illa dicenda erunt, in quibus aut antecedens conſequens haudquaquam ſpectat, aut in quibus quatuor mox recenſitae regulae plane deficiunt.

De-

Definitio XII.

§. 173. *Proportionata* ex omnium ſapientum ſententia ea ſtatuimus, quae ex plurium *ordinatorum* ſimilitudine concinne apparent. Ita ſi duae marmoreae Columnae Corinthii Operis duabus alteris ſimilibus Etruſci Ordinis adverſae in aedificio aliquo ita locentur affabreque diſponantur, ut integrum aliquod efficiant, continuo Columnae illae ſic inter ſe adverſae *proportionatae* dicentur.

Corollarium.

§. 174. Itaque *Proportionata* ab *Ordinatis* parum diſtare videntur. Etenim quemadmodum ex plurium *Entium* diſpoſita ſerie *Ordinata* conſurgunt; ita ex plurium ſimilium pari ſerie rite locata *Proportionata* conflantur.

Scholion.

§. 175. Totum *Proportionatorum* ab *Ordinatis*, quamvis exiguum diſcrimen, non alia ratione apparet, niſi quod illa rerum jam ordinatarum ſeriem efflagitent, haec vero nequaquam.

De-

Definitio XIII.

§. 176. *Pulchra* ea dici ſolent, quae *perfectione*, *unitate*, *ordine*, & *proportione* conſtant. *Pulchritudo* uno verbo eſt apta attributorum affectionumque *Entis* congruentia.

Scholion.

§. 177. Legendi omnino ſunt tres Platonis Dialogi admodum inter Philoſophos evulgati & celebres, quorum tituli; *Phaedrus*, *Sympoſion*, *&* *Hippias Major*; & quae ibi habet Ficinus, aliique Platonici. Ex his igitur aliiſque locis apparet, nihil aliud eum Philoſophum praeſtantiſſimum ac pene divinum *pulchritudinis* nomine intellexiſſe niſi *gratiam quandam*, *quae animam*, ſeu *hominis harmoniam* (ita ipſe loquitur) *aut viſu & auditu*, *aut ratione movet*. De origine vero *pulchri* ita opinabatur Socrates, ut univerſa idcirco *pulchra* dicenda eſſent quod a ſupremo Ideae aeternae & pulcherrimae fonte derivata haberentur. Quamobrem de illa eleganter more ſuo differit Ficinus ipſe paulo ante laudatus, dum in Hippiam Majorem ſuum ita ſermonem perſequitur: *Pulchritudo nihil aliud eſt*,

quam

tantum & mente complectimur.... Has rerum formas appellat ideas ille, non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi graviſſimus Auctor Plato, eaſque gigni negat, & ait ſemper eſſe, ac ratione & intelligentia contineri; caetera naſci, occidere, fluere, labi, nec diutius eſſe uno & eodem ſtatu. Quaecumque vero de hac pulchritudine generatim a ſummis hiſce aliiſque Viris fuerint commemorata luculenter, & graviſſime acuteque demonſtrata, contendo equidem nihilominus, tot eſſe de *pulchris* hominum ſententias, quot eorum ſunt nationes, capita, ſtudia, inſtituta, mores, indoles, inclinationes, & ingenia. Eſto, *pulchra* omnia a ſuprema Creatrice pulchritudine ſore dimetienda, ex quorum ad illam relatione tanquam *pulchra* extollantur; attamen quiſnam putaverit unam eandemque ab omnibus teneri perceptionem, atque in rebus perſpicue cognoſci? Quidni hanc *pulchritudinis* notionem pro vario aetatum tranſitu experientia ipſa teſte immutari in nobis perpetuo ſentimus? Qui enim adhuc in adoleſcenti aetate verſantur quaedam tanquam pulcherrima appetunt, iiſdemque

 ſum-

ſummopere delectantur, quae adulta aetate reſpuunt & averſantur: Qui item adulti nonnulla in deliciis habent, eaque tanquam venuſtiſſima exiſtimant, eadem ipſa in ſenectute moleſte intuentur, eiſque deformia videntur. Hoc unum ſupremo demum effato de vario *pulchritudinis* criterio dicere poſſe mihi videor, unumquemque ſua ſibi adeo concinna & ſpecioſa apparere, ut veriſſimum reipſa comperiatur omnium tritum illud ſermone proverbium: *ſuum unicuique pulchrum*.

PROPOSITIO III.

Exiſtit ſive Perſona, ſive ſuppoſitum per ſuammet exiſtentiam.

§. 178. *Demonſtratio* Nihil exiſtit abſque ratione cur exiſtat (§. 133.) Sed ratio cur tam *Perſona* quam *ſuppoſitum* exiſtit ipſamet eorum eſt exiſtentia: Ergo exiſtit ſive Perſona &c.

Prob. Min. Unumquodque exiſtens, vel *a ſe* eſt, vel *ab alio* (§. 123.) ſed *Perſona* & *ſuppoſitum*, ſive ex eorum ſint numero quae *a ſe* ſunt, ſive quae *ab alio*, rationem nihilominus propriae exiſtentiae ab eademmet exiſtentia totam hauriunt: Ergo &c.

Prob. Min. Quae neceſſario exiſtunt, rationem in ſe quoque cur exiſtant habere dicenda ſunt (§. 99.) ſed *Perſona* nec non *ſuppoſitum*, ſive a *ſemetipſis* ſive *ab alio* ſint, neceſſario exiſtunt: Ergo &c.

Prob. Min. Quaecumque *in actu* ſunt conſtituta neceſſaria ex *ſuppoſitione* a Philoſophis appellantur (§. 124.) ſed *Perſona* & *ſuppoſitum* intelligi nullo pacto valent, quin exiſtentia ſimul concipiantur atque *in actu* conſtituta: Ergo &c.

Prob. Min. Perſonae nomine rationalis naturae individua & ſingularis ſubſtantia definita fuit (§. 136.) *ſuppoſitum* vero ſingularis dicta fuit ſubſtantia ultimo completa ſui juris; quum nimirum univerſa concurrunt, quae ad conſtituendum quodlibet individuum ſingulare neceſſaria ſunt (§. 138.) ſed ſingularia & individua quaecumque concipiuntur, quum *in actu* atque exiſtentia cernuntur; ut evidenter patet: Ergo *Perſona* & *ſuppoſitum* intelligi nullo pacto valent, quin exiſtentia ſimul concipiantur, atque *in actu* conſtituta.

Corollarium I.

§. 179. Igitur tam *Perſona*, quam *ſuppoſitum* neceſſario talia ſunt.

Corollarium II.

§. 180. Igitur tam *Perſona*, quam *ſuppoſitum* neceſſaria ad exiſtentiam dicenda ſunt: Quum enim neceſſarium ad exiſtentiam illud a nobis fuerit explanatum, ſine quo aliquid exiſtere nequit (§. 101.) conſequitur proinde nihil exiſtens haberi poſſe, niſi ea omnia perinde confluant, quae tam *Perſonam*, quam *ſuppoſitum* conſtituant. Quemadmodum ergo non exiſtente A nequeat exiſtere B, tum A dicetur neceſſarium ad exiſtentiam B, ita nulla exiſtere valet ſubſtantia, niſi id copulatum habeat ſimul, quod ſive ad Perſonam ſive ad ſuppoſitum determinandum poſtulatur.

Corollarium III.

§. 181. Igitur in omni re tanquam neceſſarium ad exiſtentiam *Principium individuationis* requiritur: Quaecumque enim ſive ad *Perſonae*, ſive ad *ſuppoſiti* conſtitutionem confluere debent, ea ſunt, quae ſcholaſtica illa loquutione individuam quampiam ſubſtantiam determinare & conſtituere dicuntur. (§. 140.)

Propositio IV.

Omnis Subſtantia a Phyſico Accidente diſtinguitur

§. 182. *Demonſtratio I.* Quae inter ſe opponuntur, ea ipſa neceſſe eſt ab invicem diſtingui: Sed *Subſtantia* & *Accidens*, *phyſicum* inter ſe opponuntur (§. 153.) Ergo omnis *Subſtantia* a *phyſico Accidente* diſtinguitur.

Demonſtratio II. Soritica Methodo: Unumquodque per id *Unum* & ab alio *diſtinctum* eſſe debet, per quod indiviſum in ſe eſt (§. 45.) Quod indiviſum in ſe eſt identitati opponitur (§. 54.) Quod identitati opponitur, *Subſtantiae* aeque ac *Accidentis phyſici* proprium eſt; eo quia inter ſe opponuntur (§. 153.) Quod in hac oppoſitione *Subſtantiae* aeque ac *phyſici Accidentis* proprium eſt, in ejuſdem *Subſtantiae* & *phyſici Accidentis* diverſa natura ſitum eſt (§. 144. §. 152.) Quod ſic natura ab alio diverſum eſt, *Subſtantia* eſt *ab Accidente phyſico* diverſa: Ergo omnis *Subſtantia ab Accidente phyſico* diſtinguitur.

Demonſtratio III. Eadem methodo: Subſtantia illud eſt ſubjectum, quod per ſe e-

xiſtit (§. 145.) Quod per ſe exiſtit a nullo priori in ſui exiſtentia pendet (§. 144.) Quod a nullo in ſui exiſtentia pendet, alteri non indiget, ut exiſtat, inhaerere ſubjecto; quemadmodum indiget *Accidens phyſicum* (§. 152.) Quod alteri non indiget inhaerere, *Accidenti phyſico* opponitur (§. 153.) Quod ſic opponitur non eſt *Accidens phyſicum;* eo quia omne Ens, vel eſt *Subſtantia* & *Accidens logicum*, vel *Accidens eſt phyſicum* (§. 154.) Ergo *Subſtantia* eſt ab *Accidente phyſico* plane diverſa: Ergo omnis *Subſtantia* ab *Accidente phyſico* diſtinguitur.

COROLLARIUM I.

§. 183. Diſtinctio *Subſtantiae* ab *Accidente phyſico* illa eſt, quae dicitur intercedere a *parte rei:* Ita enim duo haec ſe habent, ut omni conſideratione mentis ſecluſa unum non ſit aliud (§. 53.)

COROLLARIUM II.

§. 184. Contra vero diſtinctio *Subſtantiae* ab *Accidente logico* fit *per intellectum:* *Subſtantia* enim & *Accidens logicum* nullatenus opponuntur: (§. 151.) Ergo a *parte rei* idem ſunt: Ergo ſi quoquomodo di-

diverſa concipiuntur, *per intellectum* diſtinguuntur; quum videlicet in una eademque re veluti plura, etſi plura non ſint, intelliguntur. (§. 53.)

PROPOSITIO V.

Omne, quod non exiſtit tanquam Subſtantia, Relativum eſt.

§. 185. *Demonſtratio I.* Omne Ens, vel eſt *Subſtantia* & *Accidens logicum*, vel *Accidens* eſt *phyſicum* (§. 154.) Sed quod *Accidens* eſt *phyſicum* omne *Relativum* eſt: Ergo quod non exiſtit tanquam *ſubſtantia*, *Relativum* eſt.

Probat. Min. Omne *Accidens phyſicum* ipſa ſua natura neque fieri, neque eſſe poteſt reipſa, quin in ſubjecto ſit, & ab illo producatur (§ 152.) ſed quod ita ſe habet, nonniſi *Relativum* eſſe poteſt: Ergo quod *Accidens* eſt *phyſicum* omne, *Relativum* eſt.

Probat. Min. Quidquid ſubjecto jam per ſe exiſtenti phyſice accidit; vel coloratum eſt, vel ſapidum, vel aequale, vel ſimile, vel perfectum, vel pulchrum vel ordinatum, vel proportionatum eſt demum. Atqui haec omnia aliaque id genus relative talia dicuntur: Ergo &c.

Probat. Min. Quae *relative* corpori ſive ſubjecto per ſe exiſtenti conveniunt, haudquaquam talia appellantur, niſi quatenus ad alia referuntur, cum eiſque comparantur (§. 158.) ſed ea omnia, quae modo ſubjecto per ſe exiſtenti phyſice accidere dicebamus, eidem nulla ratione conveniunt; niſi quatenus ad alia referuntur; eo quia *Relatio* eſt nexus unius rei cum alia, quae valeat nos, una percepta, ad alterius cognitionem continuo perducere (§. 159.) Ergo illa enumerata omnia *relative* talia dicuntur. Ergo quod non exiſtit tanquam *ſubſtantia*, *Relativum* eſt.

Demonſtratio II. Subſtantia eſt *Ens* per ſe exiſtens (§. 145.) Ergo omne, quod non exiſtit tanquam *ſubſtantia*, *Relativum* eſt.

Probat. conſeq. Omne quod eſt, aut exiſtit per ſe, aut per aliud exiſtit; ſed *Relativum* non exiſtit per ſe: Ergo exiſtit per aliud. Atqui ſubſtantia exiſtit per ſe: Ergo omne quod non exiſtit tanquam ſubſtantia, exiſtit per aliud, & *Relativum* eſt.

Probat. Min. Illud non exiſtit per ſe, quod non ipſum abſque alio exiſtere intel-

ligi-

ligitur: Quocirca ex vulgatiſſimo Axiomate dicitur: *Relativa ſunt ſimul cognitione & natura*. Sed *Relativum* abſque alio exiſtere haudquaquam intelligitur (§. 157. §. 158.) Ergo *Relativum* non exiſtit per ſe.

Demonſtratio III. Soritica Methodo: Quae *Relativa* ſunt, inter duo ſubjecta verſari debent, inter quae nexus eſt & relatio (§. 159. §. 162.) In quo verſatur nexus hujuſmodi & relatio, *convenientia*, & diſcrepantia ſive *non convenientia* dicitur (§. 163. §. 164.) Quae conveniunt aut diſcrepant relative, vel *ſimilia*, quae in qualitate inter ſe conſentiunt, vel *diſſimilia*, quae ex adverſo in qualitate non conveniunt, a nobis rite ſunt definita (§. 165.) Quae *ſimilia*, vel *diſſimilia* ſunt relative, vel *aequalia* etiam eſſe valent, quatenus in quantitate conveniunt; vel *inaequalia*, quatenus in eadem quantitate non bene coaequantur (§. 166.) Quae *aequalia* vel *inaequalia* ſe habent, eadem *perfecta* vel *imperfecta* haberi inter ſe valent juxta triplicem *perfecti* vel *imperfecti* ſupra definitum modum (§. 167.) Quae *perfecta* vel *imperfecta* inter ſe ſunt, *ordinata* atque *inordi-*

nata

nata inveniri poſſunt (§. 170. §. 172.) Quae *ordinata* vel *inordinata* inter ſe habentur, *proportionata* perinde, vel *improportionata* exiſtere inter ſe valent (§. 173.) Quae ita ſunt, *pulchra* item vel *deformia* apparere poſſunt (§. 176. §. 177.) Quae *pulchra* vel *deformia* videntur, ex facta ad aliud comparatione ea ipſa conſurgunt, cum quo nexus eſt & relatio (§. 177.) Quae ſic conſurgunt *pulchra* vel *deformia*, eadem convenire vel diſcrepare in reliquis relationibus hactenus expoſitis, propter inſtitutam ad aliud eandem comparationem, dicendum dubio procul eſt: Quae ſic inter duo ſubjecta *relativa* ſunt, eorum unum intelligi non patiuntur, quin alterum intelligatur (§. 159.) Quae ſic intelliguntur, abſque alio nec ipſa exiſtere concipiuntur (§. 157. §. 158.) Quae abſque alio exiſtere non concipiuntur, per ſe quoque exiſtere non intelliguntur: Quae per ſe exiſtere haudquaquam noſcuntur, ea tanquam ſubſtantia (§. 145.) exiſtere non percipiuntur: Quae tanquam ſubſtantia non exiſtunt, per aliud ſunt: Quae per aliud ſunt *Relativa* ſunt (§. 159.) Ergo omne, quod

non

non exiſtit tanquam ſubſtantia, *Relativum* eſt.

COROLLARIUM I.

§. 186. Quaecumque *Relativa*, quum ſint ſimul cognitione & natura, neceſſario talia eſſe debent. Etenim ſi ſecus poſſet contingere, aut ſi eorum unum, inter quae nexus eſt & relatio, mutationi foret obnoxium, jam *Relativa* non in ipſa rerum natura ſita eſſent, ſed aut hominum opinione ſubſiſterent, aut a rerum viciſſitudine gubernarentur; quod per ſe ſe repugnare liquido patet.

COROLLARIUM II.

§. 187. Quae igitur *intellectuali* vel *morali* nexu *Relativa* dicta ſunt (§. 161.) contingenter talia ſunt; ac proinde ſaepe ſaepius mutationi obnoxia manent. Quum enim non eadem omnibus omnique tempore ab orbe condito fuerit cogitandi ratio; neque iidem ſemper fuerint inter homines mores, non eadem apud omnes inſtituta, opiniones, ac Religiones, hinc recte inferri poteſt, pro eorum omnium, ad quae *Relativa* id genus ferri debent, varietate aut mutatione, contingenter talia eſſe nuncupanda.

SECTIO III.

De Cauſarum Natura

C*Auſae* Naturam praecipuum inter Metaphyſicas Inſtitutiones obtinere locum nulli ſane diffitentur, niſi qui de Ontologiae ſtudiis deſides huc uſque fuerunt minimeque ſolliciti: Tanti namque de illa intereſſe debet exploratiſſimam habere tractationem, quanti certe intereſt non ea ſolum, quae in hac perutili Scientia ſunt reliqua deinceps tradenda, verum etiam univerſas diſciplinas aſſequi funditus. Enimvero ſi quae de *Ente* ejuſque attributis fuſiori fortaſſe, quam par erat, oratione allata fuere, eorum dubio procul neceſſitatem reipſa exhibuerunt, *Cauſae* proinde attributum, quod *Enti exiſtenti* non minus tranſcendentale eſt ad eandem ſpectare debet utilitatem aut ſtudioſo juveni neceſſitatem. Quapropter ab hujus nominis varia penes Philoſophos acceptione definienda exordiar; ut inde ad germanam ejuſdem *Cauſae* indolem, tum ad demonſtrationes poſtremo ſtatuendas progrediar. Uſurpatur itaque *Cauſae* vocabulum pro *Potentia*, pro *Principio*, pro *Fato*; unde ſit

Definitio I.

§. 188. *Potentia* illa dicitur vis ſeu facultas agendi, quae rebus ita ineſt nonnullis, ut ſuopte motu & natura aliquid agere poſſe intelligantur. Ita cogitandi virtus quae homini eſſentialiter tribuitur; nec non vires illae motrices omnes, quibus animantia univerſa praedita ſunt, quibuſque ad exſerendas quaſdam functiones intimo cientur impulſu, totidem *Potentiae* ſunt: Iis enim agendi facultatem habere dicuntur.

Scholion.

§. 189. Activas hic *Potentias* ſolum ſpectare neceſſe eſt, ac de iiſdem ſermonem inſtituere opportunum duco: Etenim paſſivae quae dicuntur *Potentiae* improprie ita appellantur. Enimvero quum de agendi facultate in tanta, qua verſantur Philoſophi omnes de rerum eſſentiis obſcuritate, nonniſi ex actionibus aliquid inveſtigare ac decernere fas ſit; ita nimirum ut nedum ex data actione tantum concludamus vim activam exiſtere aliquam, verum etiam ex majori minorive actionum intenſione, praeſtantiorem quoque inferioremve *Potentiae* acti-

activae vim detegere quoquomodo conemur; hinc ad rem noſtram nullatenus ſpectare poſſe videbatur *Potentias* paſſivas commemorare, aut potius velle definire. Neque ſolum ad rem iſtae non pertinent, verum nec in quo earum vis ſita ſit adhuc compertum a Philoſophis habere potuimus.

Corollarium.

§. 190. Igitur unaquaeque *Potentia* rationem in ſe debet continere, cur ſuopte motu & natura agere poſſe afferatur: Niſi enim ex data aliqua actionum ſerie ea ipſa aliquid potens efficere comperta fuiſſet, fruſtra & abſque ratione *Potentiae* nomen ſortita fuiſſet.

Definitio II.

§ 191. *Principium* id appellant Philoſophi, quod rei alterius rationem in ſe complectitur: ſive id *Principii* nomine intelligitur vulgo, quod rationem continent, cur illud ſit, cujus dicitur *Principium*; quodque proinde *Principiatum* nuncupatur. Sic quoniam Pater, & Filius ita ſe habent, ut in Patre contineatur ratio, cur Filius exiſtat, Pater dicitur *Principium* Filii, & Filius *principiatum*.

COROLLARIUM I.

§. 192. *Principium* debet a *principiato* diſtingui: Continetur enim ratio in ipſo *Principio*, cur *principiatum* exiſtat.

COROLLARIUM II.

§. 193. *Principium* inter & *principiatum* intercedere debet neceſſaria connexio. Ita namque ſe habent & ſe ſe mutuo reſpiciunt, ut unum ex altero colligatur.

COROLLARIUM III.

§. 194. *Principiatum* poſterius eſt ſuo *principio* ab eoque dependet. Ideo namque exiſtit *principiatum*, quia *Principium* ſupponitur in agendo conſtitutum.

SCHOLION I.

§. 195. Nemini reor diſplicere poſſe, quae primo ac tertio Corollario abſolute inferri poſſe viſa mihi ſunt. Quippe non me latet, ſi in divinis *Principium* inter & *principiatum* comparatio fiat, fore ut duo illa tanquam vera & indubitata nequaquam recipi ab accuratioribus Philoſophis valeant. Etenim Pater aeternus vere eſt, & merito Filii Principium nuncupatur; licet eadem numero eſſentia in utroque habeatur: Ex quo liquido apparet nullum

nisi

niſi in *Perſonis* inter utrumque ſtatui poſſe diſcrimen. Filius praeterea tum propter ſuam cum Patre coaeternitatem, tum etiam propter aequalem cum ipſo divinae Naturae perfectionem nulla ratione ſuo Principio; Patre nimirum; poſterior eſſe valet, nullaque in eodem Filio Dei a Patre dependentia intelligi abſque haereticae pravitatis crimine ab ullo ſanae mentis Theologo poteſt. At vero ſi ab expoſita ſuperius doctrina quae divina ſunt, & quae in ſcholis *Paternitas* & *Filiatio* dicuntur, arceantur; atque in illa *Principium* & *principiatum*, eá duo ſcilicet comprehendi ſolum teſtemur, quorum natura diverſa plane eſt ad invicem, non vereor ſane quin acceptiſſima ſit futura, neque ulla probroſa erroris nota inurenda.

Corollarium.

§. 196. Non in creatis ſolum, verum etiam in divinis repugnat prorſus, ut idem ſi cum eodem penes eandem rationem conferatur, ſit ſimul *Principium*, & *principiatum*. Aperta quippe in creatis primum contradictio eſt, ut unum ſit alio prius, eodemque ſimul poſterius; ſimulque in eadem

dem linea ab eodem pendeat & non pendeat. Manifeſta deinde repugnantia continuo in divinis haberetur, ut ſimul Pater; *Principium* ſcilicet appellaretur, & non appellaretur, ſi idem eſſet & perſonaliter indiſtinctum cum ſuo *principiato*, Filio videlicet; aut ſi Filius ipſe ex adverſo cum Patre ſuo idem eſſet.

SCHOLION II.

§. 197. Dividitur *Principium* in *principium rei* & *in principium cognitionis*; ſeu, ut vulgare fert ſcholarum effatum, in *principium eſſendi*, & *in principium cognoſcendi*. Illud autem *principium cognoſcendi* nuncupatur, per quod aliud cognoſcitur. Sic quoniam a Patre habet eſſe Filius, Pater eſt *principium eſſendi* ipſius Filii. Quoniam vero Axioma illud: *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe* & *non eſſe*, ad plura, quae nos latent, cognoſcenda inſervit, *principium cognitionis* nuncupatur.

COROLLARIUM.

§. 198. Itaque omne *Principium* rationem in ſe habet, aut cur aliquid a ſe diſtinctum exiſtat, aut cur unum ab alio pendeat ratione ordinis, aut demum, cur

unum aliud conſequatur ratione ſcientiae. Etenim illud *Principium*, quod rationem in ſe habet, cur aliquid a ſe diſtinctum exiſtat recte *eſſendi Principium* vocari poteſt; ea vero quorum unum ab alio pendet ratione ordinis & ſcientiae *Principium cognitionis* ſatis apte vocari poteſt. Sic Pater rationem in ſe continet, cur Filius exiſtat: ſic ſupremus in ordinato exercitu Imperator in cauſa eſt, cur ab eo reliqui inferiores Duces, atque ab his gregarii milites pendere cognoſcantur; quemadmodum etiam Corollaria ab Axiomatibus aliiſque praedemonſtratis idcirco pendere noſcuntur, quia eadem Axiomata & antecedentia eorundem Corollariorum totidem principia eſſe intelliguntur.

DEFINITIO III.

§. 199. *Principium* vero *eſſendi* duplex exponi ac definiri ſolet; *externum* videlicet unum, *internum* alterum. Hoc illud dicitur, quod ad rei eſſentiam, cujus eſt principium intrinſecus ſpectat. Illud vero vocatur, quod ad eſſentiam *principiati* intrinſecus nequaquam pertinet. Sic Pater eſt *Principium* externum Filii, internum vero, ani-

anima atque corpus. Etenim haec duo ita hominem reſpiciunt, ut illius eſſentiam intrinſecus conſtituant: At vero Patris eſſentia extrinſeca omnino eſt ab eſſentia Filii, ab eaque prorſus diſtinguitur.

DEFINITIO IV.

§. 200. *Fatum* generatim acceptum eſt omnium *Principiorum* cum ſuis *principiatis* connexio indiſſolubilis quaedam, ut unum ab altero pendeat neceſſario, nec ulla ex parte ejuſmodi vinculum abrumpi valeat.

COROLLARIUM.

§. 201. Igitur in *Fato* tota continetur ratio, cur unum ex indiſſolubili connexione ab altero pendeat; continetur enim ratio in quopiam *Principio* cur aliquod ſit *Principiatum* (§. 192.)

SCHOLION.

§. 202. Quadruplex *Fatum* conſtituit Leibnitius in Teodicea; quorum primum *Democriticum* a Democrito Philoſophiae Atomiſticae inventore; ſecundum *Stoicum* a Stoicis Zenonis ſectatoribus; tertium *Spinoziſticum* a Benedicto Spinoza; quartum *Chriſtianum* a Chriſtianis dogmatibus ita appellatum legitur.

DEFINITIO V.

§. 203. *Fatum Democriticum* illud vocant quidquid ex materiae ſive atomorum ab aeterno ſe moventium neceſſitate fluit; ſive id, quod nunquam interruptam cauſarum & effectuum ſeriem neceſſario producit.

SCHOLION.

§. 204. Democriti ſententia fuit, atomos aeterno & neceſſario motu per inane infinitum percitas rerum univerſitatem ſemper effeciſſe, easque perpetuo, quidquid ex naturae ordine deperit, reficere & conſervare. Mechanicis uno verbo ac neceſſariis cauſarum ſeriebus omnia conſtare & perenni motu fluere arbitrabatur vetus ille Philoſophus; qui etiam in hoc motu Providentiam totius adſpectabilis hujus Mundi Rectricem locabat. Qui plura hac ſuper hiſtoria cupiat, Laertium conſulat libro nono, atque Stobeum (a)

DEFINITIO VI.

§. 205. *Fatum Stoicum* illud dicebant, quod ex immutabili Dei voluntate profectum agnoſcebant Stoici; ita tamen, ut ipſa

(a) In Ecloga Phyſica Cap. 8.

ipſa Dei voluntas ab ineluctabili & neceſſaria rerum ſeu cauſarum ſerie penderet.

S C H O L I O N.

§. 206. De hujuſmodi Stoicorum *Fato* uberrime diſſeruerunt Cicero (a) inprimis, ac deinde D. Auguſtinus (b). Verum non ignoro de ejuſdem germana notione in diverſa abire eruditos Viros. Lipſius (ut vetuſtiores omittam) Stoicorum *Fatum* idem eſſe cum Providentia Chriſtianorum eſt opinatus (c). Ipſe nimirum Stoicos *Fati* nomine nihil ſtatuiſſe putavit, quod libertati divinae contrarium eſſet; atque eo vocabulo eos innuere voluiſſe quod *immutabilitatem hypotheticam* in Deo appellant D. Thomas ejuſque ſectatores Theologi. Contra vero Thomaſius (d) *Fatum Stoicum* purum putumque eſſe Atheiſmum exiſtimat, quod ii Philoſophi Deum quaſi ex mente & corpore Mundano conflatum docuerint, ac neceſſitati phyſicae naturae ſuae obnoxium. Ego autem quantum ex eorum libris & ſtudio, qui veterum Stoicorum placita

(a) Lib. I. de Nat. Deor.
(b) Lib. V. de Civit. Dei Cap 8.
(c) In Phyſiologia Stoica Lib. I. Diſſer. XI.
(d) De exuſtione Mundi Stoica Diſſer. XIII.

& dicta expenderunt accurate, potui colligere, haud equidem dubito affirmare, quin Stoici *primo* Deum univerſorum Auctorem effecerint, quin *ſecundo* in Deo aeternum ſtatuerint Mundum intelligibilem, quin *tertio* crediderint Dei voluntate ipſum Mundum immutari non poſſe, quod is ſcilicet immutabili Dei intelligentia contineretur, quin *quarto* mundi hujuſce intelligibilis legibus Dei voluntatem ſubjectam eſſe ſtatuerint, quin *quinto* demum omnia in hoc mundo reipſa eodem immutabili ordine fieri & contingere ſcriptis & ſententia tradiderint, quo in intelligibili continentur. Niſi brevitatis ratio vetaret, poſſem haec pluribus veterum Stoicorum locis probare, quorum loco conſuli poterit Seneca (a) tum etiam Tullius *de Fato:* Ex quibus ſane non obſcure erui poſſe autumo, Stoicos in ea fuiſſe opinione, ut Deum phyſicae neceſſitati obnoxium putarent.

DEFINITIO VII.

§. 207. *Fatum Spinoziſticum* ſeries cauſarum eadem dicitur aeterna & neceſſaria, ſed

(a) Quaeſt. Natur. Lib. II. Cap. XXXV. & XXXVIII. & de Provident. Cap. V.

ſed quae *emanatione eſſentiali* (ita loquitur Spinoza) ex Dei natura neceſſario atque ab aeterno dimanat ac perpetuo fluit.

SCHOLION.

§. 208. Benedictus Spinoza traditae modo Definitionis Auctor *unam* tantum docet exiſtere *ſubſtantiam* (a), eamque *aeternam* (b), atque ex *infinita cogitatione extenſioneque conflatam* (c), ac illam demum *Deum* eſſe affirmat (d). Quae vero reliqua exiſtunt ita a ſubſtantiae natura diſtare contendit, ut illa *modificationes* eſſe velit, eademque ex neceſſitate naturae Dei fieri diſertis verbis teſtatur (e). Tanta impietatis commenta non eſt certe hujus loci ac temporis invicte, ut fas eſt, refellere. Quum vero opportunum id praeſtare ducemus, tam craſſos errores haudquaquam intactos relinquere patiemur.

DEFINITIO VIII.

§. 209. *Fati Chriſtiani* vocabulo illa nobis intelligitur ordinata cauſarum ſeries cum conſtanti & continuata effectuum ſuo-

K 4 rum

(a) Aeth. Propoſ. V. I. Part.
(b) Ibid. Propoſ. VI.
(c) II. Part Propoſ. I & II.
(d) I. Part. Propoſ. XIV.
(e) In Corollario Propoſ. XXV.

rum ſerie conjuncta, quae a ſuprema, aeterna, & ordinatiſſima Cauſa; *Divina* nimirum *Providentia* firma & certa lege dirigatur.

S C H O L I O N.

§. 210. *Fatum* hujuſmodi vere *Chriſtianum* eſſe perdocte ac profunde more ſuo oſtendit Angelicus Praeceptor D. Thomas (a): Quod etiam luculenter demonſtrat Alexander Aphrodiſeus (b). Qui plura igitur hoc ſuper *Fato* explorata habere cupiat, utrumque optimum erit, ſi conſulat.

COROLLARIUM I.

§. 211. *Fatum Chriſtianum*, quemadmodum veritati conſentaneum demonſtratur, ita etiam a reliquis hactenus definitis differre liquido apparet.

COROLLARIUM II.

§. 212. Quaecumque ex *Fato Chriſtiano* proficiſci & dirigi dicuntur, ab immutabili Dei voluntate, ejuſque firmiſſima praeordinatione prodire dicenda ſunt. Si enim tota in hoc *Fato* cauſarum cum ſuis effectibus ſeries ordinata a ſuprema dirigente

(a) Prim. Part. quaeſt. 103. Art. 7.
(b) Lib. de Fato.

te Cauſa pendeat (§. 209.), nullus ſane contingere poteſt effectus a ſuis cauſis ortum habens, quin a ſuprema Dei mente & voluntate cauſae illae ad effectum producendum moveantur.

Corollarium III.

§. 213. *Fatum Chriſtianum* idem dici recte valet ac quod *Principium* definitum a nobis fuit (§. 191.). In *Fato* namque continetur ratio, cur univerſa in mundo contingant (§. 201.)

Corollarium IV.

§. 214. Quemadmodum in *Fato Chriſtiano* tota continetur ratio, cur univerſa in mundo contingant; ſic in eodem ratio continetur aeque, cur univerſa mundana conſerventur: Quippe non minus poſtulari videtur, ut per connexam cauſarum ſeriem cuncta a ſuprema Cauſa & Providentia producantur, quam ut *perenni vi* ea ipſa conſerventur.

Scholion.

§. 215. Quae hic de rerum mundanarum conſervatione a me iis verbis: *perenni vi:* ſunt explanata, pluribus diſplicere poſſe veteribus Philoſophis reor equidem, qui

illam

illam ſemper definire conſueverunt; *continuatam earundem rerum creationem.* Non eos tamen uſque adeo vereor, quin quum ſolidam rationem, tum ſummorum Virorum auctoritatem, cur a communi eorum receſſerim definitione, afferre valeam. Cuinam quaeſo incompertum eſſe poterit, ſi ſerio rationem conſulat, conſervationem a creatione longe differre? Enimvero creatione efficitur, ut res quae non erat exiſtat, conſervatione vero, ne res quae exiſtit pereat atque in ſui nihilum revertatur. Quare quotquot Theologi Chriſtiani de rerum conſervatione agere ſtuduerunt illam perennis cujuſdam virtutis nomine, qua res ne in nihilum concidant prohibentur appellaverunt. *Occulto inſtinctu moveri & gubernari* omnia teſtatur D. Gregorius Magnus (a). Occultum autem hunc inſtinctum ipſam illam Dei actionem vocat D. Thomas (b), qua primum res eſſe caeperunt. *Conſervatio*, inquit, *rerum a Deo non eſt per aliquam novam actionem*, *ſed per continuationem actionis*, *qua dat eſſe*. Ex quibus profecto

(a) Lib XII. Moralium.
(b) Part. I. quaeſt. 104 Art. 2.

fecto patet, ut alia plura, brevitatis ergo praetereamus, perpetuam illam Dei conſervantis virtutem haud utique in nova creativa actione ſitam eſſe (quemadmodum neceſſe foret, ſi continuata creatione res ſervarentur) verum in extenſione potius primordialis illius virtutis, quando primum a Deo ex nihilo eductae illae fuerunt, qua continenter ab annihilatione ſervantur.

Satis huc uſque de Cauſarum natura ſub *Potentiae*, *Principii*, nec non *Fati* nominibus quae neceſſaria erant ſcitu conſtituere, & quoad valuimus dilucide explanare curavimus. Nunc vero de earundem cauſarum indole ſub earum proprio nomine aliquid definire aggrediemur.

D E F I N I T I O IX.

§. 216. *Cauſa* in genere dicitur *principium influens eſſe in aliud;* ſive clarius; *Cauſa generatim ſumta eſt id*, *quod rationem continet*, *cur aliquo modo habeatur aliud natura diſtinctum*. Quod autem a *Cauſa* ſuum eſſe recipit, *effectus* nuncupatur. *Cauſa* itaque dicitur *principium*, quod ſtat loco generis: Omnis enim *Cauſa* principium eſt (§. 191.), quum rationem contineat, cur ſit *effectus*.

Corollarium I.

§. 217. *Cauſa* in genere quemadmodum *principium* eſt, ita etiam perinde eſſe dici jure poteſt ac *Fatum Chriſtianum:* In eo namque continetur ratio, cur mundana omnia fiant (§. 209.)

Corollarium II.

§. 218. Omnis ergo *effectus* poſterior natura eſt ſua *Cauſa* ab eaque eſſentialiter dependet. *Effectus* enim ita reſpicit *Cauſam*, ut ab illa ſuum eſſe recipiat. Dependet igitur a *Cauſa* quoad ſuum eſſe; & ideo non eſſet *effectus* ſi nulla fuiſſet *Cauſa*. Contra vero optime poteſt eſſe *Cauſa*, quin habeatur *effectus*; quum ratio, cur exiſtat *Cauſa*, in *effectu* non comprehendatur.

Corollarium.

§. 219. Quemadmodum fieri nequit, ut idem ſi penes eandem rationem cum eodem conferatur, rationem ſimul habeat *principii*, & *principati* (§. 196.) ita repugnat prorſus, ut idem ſi alteri penes eandem rationem comparetur, ſit illius ſimul *Cauſa* atque *effectus*.

De-

DEFINITIO X.

§. 220. *Conditio*, *ſine qua non*, vocari id omne ſolet, quod neceſſario quidem requiritur, ut habeatur *effectus*, verum non ita, ut in illo ſit ratio, cur *effectus* exiſtat. Sic appropinquatio ignis ad ſtuppam non eſt, niſi *conditio*, *ſine qua* combuſtio haberi non poteſt. Etſi enim appropinquatione ſublata, fieri nequeat, ut ſtuppa comburatur; ratio tamen, cur fiat combuſtio, in ipſa appropinquatione minime comprehenditur.

DEFINITIO XI.

§. 221. *Cauſa* porro vel *adaequata* eſt, vel *inadaequata*. *Adaequata* dicitur illa, quae adeo influit eſſe in effectum, ut totam ipſa in ſuo genere rationem contineat cur ſit *effectus*. Contra vero *inadaequata* ea eſt, quae in ſuo genere totam rationem, cur ſit *effectus* minime comprehendit. Sic ignis eſt *adaequata Cauſa* combuſtionis. At vero Pater non eſt *Cauſa* filii, niſi *inadaequata*. In igne enim tota habetur ratio cur fiat combuſtio. Contra vero tota non eſt ratio in Patre, cur filius exiſtat.

Co-

Corollarium I.

§. 222. Nihil ergo eſt in *effectu*, cujus ſufficiens ratio in adaequata ipſius *effectus cauſa* non contineatur.

Corollarium II.

§. 223. *Cauſa adaequata* ita influit eſſe in *effectum*, ut ea poſita, omnique alia in eodem genere & ordine ſublata, *effectus* ipſe perfectiſſime exiſtat.

Definitio XII.

§. 224. Dividitur poſtremo *Cauſa*, quemadmodum principium (§. 199.), in *intrinſecam*, & *extrinſecam*. *Intrinſeca* eſt illa quae ita influit in id, cujus dicitur *Cauſa*, ut illud eſſentialiter conſtituat. *Extrinſeca* vero ea eſt, quae ad eſſentiam illius, cujus *Cauſa* vocatur intrinſecus conſtituendam minime ſpectat. Sic anima & corpus dicitur *Cauſa intrinſeca* hominis, quae ex illo fit; *extrinſeca* vero Pater a quo gignitur homo. Generatur enim Filius a Patre tanquam a *Cauſa extrinſeca*; eo quia intrinſecam ejus eſſentiam, corpus nimirum & animam per generationem non ipſe ingrediatur, neque illam attingat.

Scho-

SCHOLION.

§. 225. Ariſtotelis fuit opinio omnium deinde Scolaſticorum firmata conſenſu, quatuor eſſe cauſarum genera, quae ad habendum *Ens compoſitum* neceſſario requiruntur; *materialem* ſcilicet, *formalem*, *efficientem*, & *finalem*. Vocant *materialem* cauſam id, ex quo praeexiſtente fit compoſitum; *formalem* id, per quod compoſitum eſt tale *Ens* in ſpecie; *efficientem* agens illud, a quo compoſitum producitur; *finalem* vero id, propter quod agens operatur ipſumque compoſitum efficit. *Cauſam Ariſtoteles putat tribus modis dici*, inquit Seneca. *Prima cauſa eſt ipſa materia, ſine qua nihil poteſt effici. Secunda opifex. Tertia forma, quae unicuique operi imponitur, tanquam ſtatuae. Namque hanc Ariſtoteles* Idos *vocat. Quarta quoque, inquit, his accedit, propoſitum totius operis* (a) His quintam addit Plato, quam *exemplar* dixit, ſive *ideam*; eſt enim, ad quod reſpiciens artifex, id, quod deſtinabat, efficit (b). Quinque igitur ſunt ex mente Platonis *cauſarum* genera, nimirum, teſte

(a) Epiſt. 65.
(b) Seneca ibid.

teſte eodem Seneca, id, *ex quo;* id, *a quo;* id, *ad quod;* id, *propter quod*, noviſſime id, *quod ex his eſt*. Tanquam in ſtatua id, *ex quo* aes eſt id, *a quo* artifex eſt; id, *quo*, forma eſt, quae aptatur illi, id *ad quod* exemplar eſt, quod imitatur is, qui facit; id, *propter quod*, facientis propoſitum eſt; id *quod* ex iſtis eſt, ipſa ſtatua (a) Quamvis ergo hujuſmodi cauſarum enumerata genera recte diviſa, ac reipſa veritati ſatis conſentanea nobis videantur; ea ipſa nihilominus in hiſce Sectionibus, cuncta ſub cauſarum vocibus vix commemorari poſſe digna viſa ſunt (nedum circa ea theoreticas ſtatuere Propoſitiones) ac demonſtrationibus fulciri. Quamobrem *ad efficientem* & ad *finalem* cauſam deinceps quum hic, tum in ſequenti Sectione quaecumque erunt definitionibus, Axiomatibus, Corollariis, aliiſque tradenda, pertinere videbuntur. Cur vero in hiſce Tractationibus haſce reliquis cauſarum Capitibus praeferre decreverimus quum luculenta explanatione, tum ex inpoſterum demonſtrandis reipſa patere & ſatis ſuperque cognoſci ab unoquoque confido.

(a) Epiſt. 66.

Corollarium I.

§. 226. Quemadmodum omnis *Cauſa* Principium eſt (§. 216.) ita etiam omnis cauſa partienda eſt in *Cauſam rei*, & in *Cauſam cognitionis;* ſicut *Principium* ipſum ſuperius eodem diviſionis genere conſtare ſtatuimus (§. 197.)

Corollarium II.

§. 227. Itaque omnis *Cauſa* rationem in ſe habet, aut cur aliquid a ſe diſtinctum exiſtat, aut cur unum ab alio pendeat ratione ordinis vel ſcientiae, quemadmodum de *Principio* dictum fuit (§. 198.)

Corollarium III.

§. 228. Igitur, quemadmodum *Principium* rei, ſive eſſendi in *internum* nec non *externum* recte diviſum fuit, ita etiam omnis *Cauſa* ex eadem diviſione partita debet coaleſcere. Ita *Cauſa interna* illa erit nuncupanda, quae ad rei eſſentiam cujus eſt *Cauſa* intrinſecus ſpectat; illa autem dicenda erit *externa Cauſa*, quae ad rei eſſentiam nequaquam pertinet. Quare anima & corpus hominis *Cauſa intrinſeca* eſt, eſſentia vero alterius hominis, Patris nimirum generantis ab eſſentia filii generati eſt prorſus *extrinſeca*.

Corollarium Universale I.

§. 229. Itaque omnis generatim *Cauſa*; ſive *Potentiae*, ſive *Principii*, ſive *Fati* vocabulis appelletur; perinde eſt. *Potentia* namque, *Principium*, nec non *Fatum* rationem aeque in ſe continent, aut cur aliud a ſe diſtinctum exiſtat, aut cur unum ab altero quoquomodo pendeat (§. 190. §. 191. §. 201.)

Corollarium Universale II.

§. 230. Igitur omnis generatim *Cauſa*; ſive *Potentiae*, ſive *Principii*, ſive *Fati* vocabulis appelletur ſemetipſa poſteriorem natura habet effectum. Aut enim prior ipſa alteri exiſtentiam communicat, & dicitur *Cauſa rei*; aut eadem prior ſe habet ratione ordinis vel ſcientiae (§. 226. §. 227.)

Propositio VI.

Quidquid exiſtens eſt, rationem habet cur exiſtat.

§. 231. *Demonſtratio*. Quidquid exiſtens eſt, continuo extra nihil reperitur (§. 118.) Ergo rationem habet cur exiſtat.

Probat. conſeq. Unumquodque exiſtens, vel *a ſe* eſt, vel *ab alio*; (§. 123.) ſed utrumque exiſtendi genus rationem habet, cur exiſtat: Ergo quidquid exiſtens eſt &c.

Probat. Min. Quod *a ſe*, ſive per ſuam eſſentiam exiſtit, in ipſa ſui eſſentia rationem continet cur exiſtat (§. 120.) Illud vero quod *ab alio* ſive contingenter exiſtit, totam in *alio* ſuae exiſtentiae rationem habet (§. 132.) Ergo utrumque exiſtendi genus rationem habet cur exiſtat.

PROPOSITIO VII.

Quidquid ab alio exiſtens eſt, rationem aeque ab alio habet cur exiſtat.

§. 232. *Demonſtratio I.* Quidquid ab alio exiſtens eſt, ab alio quoque pendet, aut tanquam a *Potentia*, aut tanquam a *Principio*, aut tanquam a *Fato*; ſed ex hujuſmodi varia dependentia ratio colligitur, cur unumquodque quod *ab alio* eſt exiſtentiam habeat: Ergo &c.

Probat. Min. Ideo unumquodque *ab alio* exiſtens aut a *Potentia*, aut a *Principio*, aut a *Fato* dependet, quia in hiſce tribus continetur ratio, cur aliquid exiſtat (§. 190. §. 192. §. 201.) Ergo ex hujuſmodi varia dependentia ratio colligitur &c.

Demonſtratio II. Omne quod exiſtit *ab alio*, aut *Actio*, aut *Principiatum*, aut *Effectus* dici neceſſe eſt (§. 189. §. 191. §.

209. §. 212.) Sed tria haec, vel in ſua *Potentia*, vel in ſuo *Principio*, vel in ſuo *Fato* cur exiſtant rationem habent (§. 189. §. 192. §. 212.) Ergo quidquid *ab alio* exiſtens eſt, rationem aeque *ab alio* habet cur exiſtat.

Demonſtrat. III. Unumquodque quod *ab alio* exiſtens ſe habet, neceſſaria cum ſuo vel *Principio* vel *Cauſa* connexione gaudere debet, ab iiſque eſſentialiter pendere (§. 193. §. 218.) Sed hujuſmodi connexio atque eſſentialis dependentia nulla ratione in quolibet *ab alio* exiſtente extare valet, quin in eodem reperiatur ratio, cur illud exiſtat. Ergo quidquid *ab alio* exiſtens eſt, rationem aeque *ab alio* habet, cur exiſtat.

Probat. min. Quod ſuo *Principio*, vel *Cauſa*, natura ſaltem, poſterius eſt, (§. 230.) idcirco ab hiſce dependet neceſſario, cum iiſque eſſentialiter connectitur, eo quia tum *Principium* ſupponitur in agendo conſtitutum (§. 194.) tum etiam quia nullus fuiſſet effectus, ſi nulla prior fuiſſet *Cauſa*, a quo idem produci poſſet effectus (§. 218.) Ergo ſuppoſita *Principii*

pii

pii vel *Cauſae* exiſtentia, ab ea *Principiatum* vel *Effectus* neceſſario dependet. Ergo *Principii* vel *Cauſae* exiſtentia tota ratio eſt cur *Principiatum* vel *Effectus* exiſtat. Ergo demum hujuſmodi connexio atque eſſentialis dependentia nulla ratione in quolibet *ab alio* exiſtente extare valet, quin in eodem reperiatur ratio, cur illud exiſtat.

Demonſtrat. IV. Soritica Methodo: Quod *ab alio* exiſtit, tanquam *Principiatum* exiſtit: Quod tanquam *Principiatum* exiſtit a ſuo *Principio* diſtinguitur (§. 192.) Quod a ſuo *Principio* diſtinguitur neceſſariam cum ipſo connexionem habet (§. 193.) Quod cum *Principio* neceſſariam habet connexionem, tanquam illo poſterius neceſſariam quoque habet ab eodem dependentiam (§. 194.) Quod neceſſariam habet a *Principio* dependentiam, neceſſario perinde ab eo pendet, in quo ſufficiens ratio continetur, cur aliquid exiſtat (§. 198.) Quod ſic a *Principio* dependet, aeque etiam a *Fato* pendere poteſt, quia in eo continetur ratio cur unum indiſſolubili connexione *ab altero* pendeat (§. 201.) Quod a

Fato pendere poteſt a *Cauſa* itidem pendere poteſt; eo quia *Cauſa* generatim *Principium* eſt (§. 216.) Quod a *Cauſa* pendere poteſt ab ea item dependentiam habet, eo quia *Cauſa* ſimul & *Effectus* eſſe nequit (§. 219.) Quod ab eo pendet, quod *Cauſa* ſimul & *Effectus* eſſe nequit, ab eo perinde dependentiam habet, quod ſeipſo poſteriorem natura reſpicit *Effectum* (§. 230.) Quod ſeipſo poſteriorem natura reſpicit *Effectum*, ipſius poſterioris *Principium* eſt: Quod poſterioris *Principium* eſt, rationem continet, cur aliquid poſterius a ſe diſtinctum exiſtat: Quod rationem continet, cur aliquid a ſe diſtinctum exiſtat, illius etiam rationem habet, quod *ab alio* exiſtit. Ergo quod *ab alio* exiſtit, rationem aeque *ab alio* habet, cur *ab alio* exiſtat.

PROPOSITIO VIII.

Quidquid ab alio exiſtens eſt, aut a Cauſa rei aut a Cauſa cognitionis pendere ſolum neceſſe eſt.

§. 233. *Demonſtratio I.* Tot ſtatuenda ſunt Cauſarum genera, quot exiſtentium *ab alio* ſunt genera; ſed exiſtentium *ab alio*

lio genera duo ſunt; ea videlicet quae exiſtunt *a Cauſa rei*, nec non ea quae *a Cauſa cognitionis* exiſtunt: Ergo duo ſunt cauſarum genera; ac proinde quidquid exiſtens eſt, a *Cauſa rei*, aut a *Cauſa cognitionis* pendere ſolum neceſſe eſt.

Probat. Min. Quidquid *ab alio* exiſtit, neceſſaria cum ſuo vel *Principio* vel *Cauſa* connexione gaudere debet, ab iiſque eſſentialiter pendere (§. 193. §. 218.) ſed tam *Principium* quam *Cauſa* diviſa fuit in *Principium* vel *Cauſam* rei, nec non in *Principium* vel *Cauſam cognitionis* (§. 197. §. 226.) Ergo *ab alio* exiſtentium genera quoque in totidem capita ſunt dividenda: Atqui duo enumerata ſunt Cauſarum Capita. Ergo duo quoque ſtatuenda ſunt *ab alio* exiſtentium Capita &c.

SCHOLION.

§. 234. Ex facta demonſtratione dilucide patere unicuique reor, eam hic eſſe mentem noſtram, ut quinque illa Cauſarum genera, de quibus levis commemoratio ſuperius a nobis eſt habita (§. 225.) a noſtris philoſophicis caſtris eliminentur; ne videlicet ea ſectari cogamur, quae caſſo

& ſupervacaneo prorſus ſtudio inventa atque inter ſe diſtincta a Peripateticis atque Platonicis fuere, & in quibus, ut tanquam delapſa caelitus oracula exciperentur, ab omnibus tantopere elaboratum fuit. Quid enim ſtudioſo Viro prodeſſe poteſt tanta *Cauſarum* diſtinctio, ubi eae quinque ad duo tantum agendi *principia* ſive *Cauſas* revocentur? Nihil prorſus. Quum itaque quidquid *ab alio* exiſtens eſt (ſive tanquam a *Principio*, ſive tanquam a *Cauſa*) rationem aeque *ab alio* habeat cur exiſtat (§. 232.) haud equidem intelligo cur *Principii* aut *Cauſae* nomen Cauſis *materiali*, *formali*, atque *exemplari* ſit aeque attribuendum; quippe quae nullo pacto rationem continere valeant, cur aliud a ſe diſtinctum exiſtat; nec proinde quidquid *ab alio* exiſtens eſt ab hiſce rationem, cur ipſum exiſtat, participare perinde poſſit. Ne vero quod iis vocabulis intelligunt Scholaſtici adſpernari temere videar, fateor lubentiſſime ea tria ſub *Cauſarum* nominibus ab ipſis percepta rationi & veritati eſſe conformia: Contendo tamen, ea omnia vel ad *efficientem* vel ad *finalem* Cauſam fore referen-

ferenda. *Ad efficientem* primo; in qua *Cauſa rei* ſita eſt: *Ad finalem* ſecundo, in qua *Cauſa* quae *cognitionis* dicta fuit (§. 226.) locari optime debet. Quae ergo *ad efficientem Cauſam* ſpectant, non alia eſſe poſſunt, niſi quae *materialis* & *formalis Cauſae* dicuntur: At quae *materia* & *forma* eſt cujuslibet rei exiſtentis, ita a *Cauſa efficiente* pendet, ut in ipſa non tam ratio contineatur, cur res quaepiam exiſtat, verum etiam cur eadem res materia & forma exiſtat ornata & inſtructa. Ex quo colligitur praeterea, *materiam* cum *forma* ad cujuſpiam rei exiſtentiam utique fore neceſſariam; ac tum maxime quum de rerum corporearum exiſtentia ſermo habeatur; attamen ita utrumque neceſſarium eſt, ut tamen in eo nulla reperiri poſſit ratio, cur aliquid, tanquam *materia* aut *forma*, exiſtat; quodque aliquod ſit *Principium* ſive *Cauſa* a *Cauſa efficiente* prorſus diſtinctum. Poſtulatur equidem ad cujuſcunque rei corporeae exiſtentiam *materia* apta quaedam, ex qua exiſtens aliquid conſurgat: Poſtulatur quoque *forma*, per quam unumquodque in certa *Entis* ſpecie conſtituatur: Verum

rum

rum ab una eademque *efficienti Cauſa*, a qua rei exiſtentia ortum habet, ipſa res ex *materia* & *forma* conſtans perfectaque proficiſcitur. Niſi dicendo rem adeo per ſe dilucidam, aliquatenus obnubilatam efficere formidarem (quemadmodum rebus per ſe ferme evidentibus contingere ſolet) aut brevitatis propoſitum ſcopum deſerere timerem, majora profecto afferre non dubitarem. Haec quantum ad *Cauſam efficientem*. Quum vero quaelibet *Cauſa efficiens* nihil temere moliatur; neque item ullus recenſeri poſſit in natura exiſtens effectus, qui fortuita atomorum concurſione; ſive abſque ratione ſufficienti in ſua *Cauſa* contenta prodierit; hinc recte inferri poſſe liquet, exiſtere nimirum alterum *Cauſae* genus in qua ratio contineri debeat, cur *efficiens Cauſa* aliquid a ſe diſtinctum producere aggreſſa fuerit. *Finis* ergo propter quem *Cauſa* operatur; ſive id ut ait S. Auguſtinus, *propter quod facimus*, *quidquid facimus* (a) *Principium* eſt illud, ſive *Cauſa*, quae *cognitionis* appellata fuit (§. 226.) In

(a) Lib. II. de Morib. Eccleſ. num. 27. *alias* Cap. XIII.

In hac enim ratio comprehenditur cur ordinata *Cauſa* aliquid adoriri voluerit; atque ex hujus finis cognitione rei alterius petitur cognitio. Ita Medicus *ex. gr.* qui aegro pharmacum praeſcribit non utique ſolum Medicinae a ſe paratae *Cauſa* eſt *efficiens* vocandus; verum etiam ipſemet ſanitatem inter & pharmacum connexionem perſpiciens, ad illud aegroto propinandum impellitur, rationemque in alio *Principio* contentam intuetur, cur id agat; ab eaque determinatur. Si qua ergo in ea, quae *Exemplaris Cauſa* dicitur, ratio ineſt cur aliud exiſtat, aut nulla eſt ac proinde a *Cauſae* indole deficit; aut ad *Finalem* reducitur demum Cauſam. Videtur quippe *Exemplar, ad quod reſpiciens Artifex id, quod deſtinabat, efficit* (a) id eſſe, quod *Principium cognitionis*. Eatenus namque Artifex ſeu *Cauſa efficiens* ſapienter operatur, quatenus rem effectam inter & *Exemplar* aliquam ordinis connexionem reſpicit, cujus ductum ſectando ad exitum ſcite opus perducere valeat: Uno demum effato in *Exemplari* ratio continetur ſcientifica & ordina-

(a) Seneca Epiſt. 66.

dinata cur *Cauſa efficiens* ea ratione ſtatuerit effectum ad exiſtentiam proferre. Ex hiſce ergo levi adumbratione propoſitis aliquatenus perſpicuum fieri exiſtimo, univerſa Cauſarum genera nonniſi ad duo ſumma capita; ad *Principium* nimirum ſive *Cauſam rei*, & ad *Principium* ſive *Cauſam Cognitionis*; ſive ad *Cauſam efficientem* & *finalem* duntaxat fore a nobis revocanda.

Eadem Propoſitio demonſtratur Soritica Methodo: Quidquid exiſtens eſt, *principiatum* eſt; Quidquid principiatum eſt a ſuo *Principio* diſtinguitur (§. 192.) Quidquid a ſuo *Principio* diſtinguitur neceſſariam cum eo habet connexionem (§. 193.) Quod cum *Principio* connexione gaudet ab eo quoque dependet (§. 194.) Quod a *Principio* dependet illud reſpicit, vel tanquam *Principium rei*, vel tanquam *Principium cognitionis* (§. 197.) Quod eſt *Principium rei* & *cognitionis*, eſt *Cauſa* quoque *rei* & *cognitionis* (§. 226.) Quod eſt *Cauſa rei* & *cognitionis* rationem in ſe habet, cur aliquid a ſe diſtinctum exiſtat (§. 227.) Quod rationem in ſe habet, cur aliquid a ſe diſtinctum exiſtat; vel rationem habet,

cur

cur unum ab alio pendeat in ratione *rei* vel *eſſendi*, aut cur unum ab alio pendeat ratione *ordinis* vel *ſcientiae* (§. 198.) Quod utroque modo ab alio pendet, ab alio aeque exiſtens eſt; Quod ab alio exiſtens eſt, rationem aeque ab alio habet, cur exiſtat (§. 232.) Quod ab alio rationem habet cur exiſtat, vel habet a *Cauſa rei* vel a *Cauſa cognitionis* (§. 226.) Ergo quidquid ab alio exiſtens eſt, vel a *Cauſa rei*, vel a *Cauſa cognitionis* pendere ſolum neceſſe eſt.

SECTIO IV.

De Cauſarum viribus.

CAuſarum natura, juxta variam earum acceptionem uſurpata, ſatis, quantum reor, aliquot Propoſitionibus demonſtrata a nobis fuit. Quare nihil aliud plane deſiderare videtur caeptum a nobis opus, niſi ut quantum earundem Cauſarum virtus pateat, diſertius quoad poterimus, deinceps oſtendamus. Quum nos igitur ex quinque Cauſarum generibus duo tantum, quae vere *Cauſae* nomine digna ſint

ſint conſtituerimus modo; *efficientem* ſcilicet atque *Finalem;* hinc de utriuſque viribus nobis propoſitum eſt pertractare. Primo itaque de *efficientis Cauſae* activitate, juxta multiplicem exinde definiendam illius naturam, agemus; deinde de *Finalis Cauſae* poteſtate brevior nobis erit ſermo & demonſtratio. Quod ut ad unguem perduxerimus, haud equidem dubito, quin veritati perſpicuae exacte ſit reſponſurum, quod paulo ante de duplici eodem *Cauſarum* genere affirmabamus. Sit itaque de efficienti primum Cauſa

DEFINITIO I.

§. 235. *Cauſa efficiens* dicitur illa, *quae id efficit cujus eſt Cauſa* (a) ſeu, quae ita agit, ut ipſius actio, ſit ratio, cur aliud in rerum natura exiſtat. Sic Pater eſt Cauſa efficiens filii, quum ab illius actione exiſtentiam filius ipſe recipiat.

SCHOLION.

§. 236. Ariſtoteles *Cauſam efficientem* definit *principium*, *a quo motus* (b) ſive *a quo mutatio quaevis in ſubjecto efficitur.*

(a) Tullius Lib. de Fato Cap. XV.
(b) Lib. II. Phyſic. Cap. III. & I. Metaph. Cap. II.

tur. Haec tamen definitio effectrici cuilibet cauſae minime convenire videtur. Nemo ſiquidem eſt, quem lateat, creantem cauſam inter *efficientes* jure ac merito collocari; quamvis nullum ab illa ſubjectum mutetur, nulluſque idcirco motus per illius actionem fiat. Itaque Ariſtotelica *efficientis Cauſae* definitio creatis tantummodo agentibus competit, utpote quae ſola quum ſubjecto, ut operentur, indigeant, principium dici poſſunt, a quo motus ſive mutatio efficitur.

DEFINITIO II.

§. 237. Dupliciter ſpectari ſolet atque ſumi *efficiens Cauſa* a Philoſophis; nimirum in *actu primo*, ut ipſi ajunt, & in *actu ſecundo*. Dicitur ſumi in *actu primo*, quum ea conſideratur, quatenus praeciſe valet alteri, quod modo non eſt, exiſtentiam tribuere; ſeu quatenus praeciſe poteſt operari. Dicitur vero ſumi *in actu ſecundo*, quum ea ipſa ſpectatur, quatenus exiſtentiam reipſa alteri confert; ſeu quatenus vim, qua pollet, exercet, ſuumque effectum producit. In primo enim ſtatu *Cauſa* ita nobis occurrit, ut ſola virtus activa,

ctiva, ſeu potentia operandi, quae dicitur *actus primus* menti cogitanti reluceat. In ſecundo vero cauſa ipſa nobis ita ſe prodit, ut in illa exercitium pateat virtutis, quod *actus ſecundus* ipſius cauſae nuncupatur.

COROLLARIUM I.

§. 238. Igitur *Cauſa* in *actu primo* potens eſt efficere, ut alteri rei ſui virtute exiſtentia tribuatur; eadem vero *in actu ſecundo* poſita ita ſe habet, ut exiſtentia effectui reipſa communicetur.

COROLLARIUM II.

§. 239. *Cauſae efficientis* notio, tam in *actu primo*, quam in *actu ſecundo* relativa eſt; ita nimirum ſe habet, ut relationem ad effectum involvat. Concipi ſiquidem illa nequit, ut potens efficere, niſi id ſimul nobis occurrat, quod poteſt ab illa exiſtentiam comparare: Nequit praeterea concipi, ut exiſtentiam effectui reipſa communicans, niſi ſimul nobis id pateat, quod per illius actionem exiſtit. Hinc

COROLLARIUM III.

§. 240. Nequit *efficiens* concipi *Cauſa* quaepiam ad ſuum effectum relativa, cui

actio

actio aliqua non reſpondeat, & effectui *paſſio* non imprimatur perinde aliqua.

Corollarium IV.

§. 241. *Actioni* nullae, nulla quoque in effectu *Paſſio* poteſt reſpondere.

Scholion I.

§. 242. *Paſſio* quae in effectu cauſae efficientis *actioni* reſpondet, *terminus actionis* a Philoſophis appellari conſuevit; eamque idcirco, quamvis non ſatis perſpicue, definire voluerunt; *rei cujuſpiam mutatio*, *ut per illam a non eſſe ad eſſe res ipſa transferatur*. Pati quippe rem perinde eſt hoc loco ac eam per productionem immutari atque ab efficientis cauſae operatione terminari: ſive eandem cum Clar. Volfio (a) deſcribi mihi poſſe videor; *mutationem* ſcilicet *ſtatus*, *cujus ratio continetur extra ſubjectum*, *quod ſtatum mutat*. Dum enim efficiens cauſa creata operatur, neceſſario per ipſam actionem mutatur ſubjectum, a quo cauſa ipſa in operando dependet. Porro tam *actio* Cauſae, quam effectus *paſſio* non ita ſemper ſpectandae ſunt, ut neceſſario inter duo ſubjecta verſari debeant: Etenim

(a) Part. II. Ontolog. §. 714.

nim alia eſt *actio immanens*, alia a Metaphyſicis *actio tranſiens* ſtatuitur. *Immanens* vocatur *actio*, cujus terminus in ipſa cauſa tanquam in ſubjecto recipitur, neque a ſemetipſa egreditur; *tranſiens* vero *actio* illa dicitur, cujus terminus a ſubjecto excipitur, in eoque terminatur, quod ab ipſo agente, ſeu cauſa, eſt prorſus diſtinctum. Sic quaecunque mentis noſtrae perceptio eſt *actio immanens*; *tranſiens* vero *actio* dici debet ligni *ex. gr.* combuſtio. Per mentis nanque perceptionem nihil extra mentem intelligentem egreditur, atque in eo ſubjecto, in quo per mentis operationem excitantur ideae, ibidem perceptionis *paſſio* recipitur: At vero plane diſtinctum eſt ſubjectum, quod per combuſtionem ab igne immutatur.

SCHOLION II.

§. 243. Quum multiplex occurrat a Tractatoribus Metaphyſicis *Cauſarum efficientium* facta diviſio, nos proinde a rerum tradendarum utilitate nullatenus abhorrentes, earum diſcrimen ob oculos ita conſtituemus, ut tamen quae ſupervacanea diviſione diſtributa leguntur ſilentio praetereamus;

mus; quae vero ad ſolidum ſpectare poſſe uſum perſpiciemus vobis ſedulo & perſpicue enarrare & definire curabimus. Dividi ergo primo poteſt efficiens cauſa in *Phyſicam*, *Metaphyſicam* & *Moralem*; ſecundo in *Principalem*, *Inſtrumentalem*, & *Occaſionalem*; Tertio in *Univerſalem* & *Particularem*; Quarto in *Proximam* & *Remotam*; Quinto in *Naturalem* & *Supernaturalem*; Sexto in *Neceſſariam* & *Liberam*; Septima demum in *Cauſam per ſe*, & *Cauſam per accidens*. Ut itaque celerius nos ab hac Definitionum ſerie expediamus, continuo ſit

DEFINITIO III.

§. 244. *Cauſa efficiens Phyſica* illa dicitur, quae vera & reali actione aliud a ſe diſtinctum producit. Sic Pater in creatis eſt *Cauſa efficiens phyſica* Filii a ſe geniti: Realis quippe ea actio eſt, per quam Filius ſuam a Patre exiſtentiam recipit.

DEFINITIO IV.

§. 245. *Cauſa efficiens Metaphyſica* illa eſt, quae per realem actionem id quidem non efficit, cujus cauſa dicitur; verum quum certa ratione hoc ab illa colligatur, atque ab ea dependeat, concipitur perinde

 pror-

prorſus, ac ſi vere & proprie ab illa produceretur. Hujuſcemodi *Cauſa* eſt rei cujuſque eſſentia, ſi cum metaphyſicis ipſius eſſentiae proprietatibus conferatur: Ex eo enim, quod proprietates ipſae ab eſſentia profluant, concipiuntur non ſecus ac ſi ab illa, tanquam a reali ſui Cauſa, producerentur.

DEFINITIO V.

§. 246. *Moralis efficiens Cauſa* ea eſt, quae licet reipſa in id non influat, cujus dicitur cauſa; attamen prudentum judicio, perinde prorſus illa ſe habet, ac ſi reipſa in ipſum influeret. Ita, qui ad homicidium ſuaſionibus impellit, *moralis* illius *Cauſa* hominum opinione appellatur. Quamvis enim hominem vere non interficiat, dignus tamen eſt, cui crimen ipſum tribuatur & imputetur, quique illius Cauſa habeatur & Auctor.

COROLLARIUM I.

§. 247. *Cauſa*, quae metaphyſice & moraliter *efficiens* dicitur, improprie ita appellatur, neque ulla ratione vere *efficiens Cauſa* dici poteſt. Quum enim concipi haec nequeat, niſi ad ſuum effectum relativa;

cui

cui etiam tum *actio* aliqua non reſpondeat, tum effectui *paſſio* non imprimatur perinde aliqua (§. 240.), hinc *metaphyſica* nec non *moralis* a vera efficientia quam maxime diſtare patet: Utraque enim Cauſa per realem *actionem* non efficit (§. 245. §. 246.) Neque item *paſſio* ulla *actioni* nullae reali poteſt reſpondere (§. 241.) *Cauſae* demum *efficientis* notio intelligi nequit abſque relatione ad ſuum effectum (§. 240.)

COROLLARIUM II.

§. 248. Tota igitur *Metaphyſicae* & *Moralis Cauſae* vis & efficientia in hominum mente verſatur: Aut enim concipiuntur eſſentiae affectiones ab ea, tanquam ab effectrice cauſa dimanare (§. 245.) aut prudentum judicio & opinione cenſetur aliquis per ſuaſiones, homicidii *ex. gr.* Auctor & Cauſa (§. 246.)

DEFINITIO VI.

§. 249. Cauſa *Principalis* efficiens ea vocatur, quae ita *actione* ſua effectui *paſſionem* imprimit, ut in illa vere contineatur ratio, cur ipſe effectus exiſtat. Ita arbor floribus onuſtus ita ſui *actione* in eos evolvendos influit, ut in ipſo eorum exiſtentiae ratio habeatur.

Definitio VII.

§. 250. Ea dicitur vero *Inſtrumentalis* Cauſa efficiens, quae in ſe & abſolute ſpeƈtata rationem, cur effeƈtus exiſtat, haudquaquam continet; ſed eatenus tantum agit, quatenus a Cauſa *Principali* movetur, eique ad effeƈtum perficiendum inſervit. Sic Artifex ſimulacri aut columnae *Cauſa principalis* habetur; *inſtrumentalis* vero ſcalprum, ſeu quodcumque ejus artis ſculptoriae inſtrumentum ad ſtatuam vel columnam perficiendam neceſſarium eſt.

Definitio VIII.

§. 251. *Occaſionalis* Cauſa dici ea ſolet, quae Cauſae principali occaſionem praebet, ut effeƈtum producat; quatenus nempe illam movet, certoque modo ad effeƈtum producendum determinat. Ita ex ſententia Clar. Nicolai Mallebranchii ſenſationes univerſae, quae ex objeƈtis in ſenſoria corporis noſtri agere ſolent, totidem occaſionales ſunt cauſae, quorum praeſentia ideae earum rerum, quarum ſunt ſenſationes, in anima a Deo ſuprema Cauſa excitentur. Sic etiam nuces puero oſtenſae; ſic ramus virentibus foliis agno ſeu

ovi

ovi objectus totidem occaſionales ſunt cauſae, quibus illectus uterque moveatur. Non enim nuces & ramus efficiunt motum, ſed ut tam puer, quam ovis illico moveatur, efficiunt & alliciunt.

COROLLARIUM I.

§. 252. Cauſa efficiens *Inſtrumentalis* duo in ſe, ut agat, neceſſe eſt continere; impreſſam nimirum ab agente ſeu Cauſa *principali* motionem, nec non aptam & propriam cuipiam Inſtrumento agendi virtutem. Ita *ex. gr.* ſcalprum aptum non eſſet ad efformandam ſtatuam inſtrumentum, niſi tum ab artificis manu ageretur, tum ſcindendi & aperiendi ſibi in marmore vias aciem virtutemque propriam haberet.

COROLLARIUM II.

§. 253. Cauſa *Inſtrumentalis* nec non *Occaſionalis* Cauſae vere efficientes haudquaquam dici poſſunt. Quum enim Cauſa efficiens ita agat, ut ipſius operatio ratio tota ſit, cur aliud in rerum natura exiſtat (§. 235.); ſive illa fuerit definita, quae vera & reali actione aliud a ſe diſtinctum producit (§. 244.) continuo liquet memorata haec duo cauſarum genera a germana

Cauſae idea penitus diſcrepare: *Inſtrumentalis* nanque Cauſa rationem in ſe non complectitur cur aliud in rerum natura exiſtat; verum totam ab agente ſeu cauſa *principali* mutuatur atque participat (§. 250.) *Occaſionalis* deinde cauſa *principalem* determinat cauſam, ut ipſa vera & reali actione aliud a ſe diſtinctum producat (§. 251.)

Corollarium III.

§. 254. Quae relate ad aliquem effectum producendum *principalis* eſt Cauſa, relate ad alterum qui activam ſui vim plane ſuperet *inſtrumentalis* eſſe poteſt. Ita idem arboris ramus *principalis* eſt cauſa eorum fructuum, quos actione ſua tanquam effectus producit; idem inquam *inſtrumentalis* eſt cauſa ſi quis eo ad contundendos adverſarii ſui humeros, forte utatur. Per ſe enim tantum non contineret virtutis, niſi totam a percutientis manu reciperet.

Scholion.

§. 255. Ratum ac ſolemne eſt D. Thomae ejuſque ſectatoribus, univerſa, quae inter nos Cauſae *principalis* nomen vulgo ſortiuntur, eadem ipſa ad Deum comparata,

ta,

ta, atque ab ipſo tanquam ſuprema Cauſa ad agendum determinata, nonniſi totidem inſtrumenta in exſerendis eorum operationibus fore habenda. Tota profecto hujuſce aſſerti ratio quum apodictica eſt, tum ex ejuſdem Angelici Praeceptoris pluribus locis evidentiſſime apparet. Ac primo: *Nihil agit*, inquit ipſe, (a) *ad eſſe niſi per virtutem Dei: Ipſum enim eſſe, eſt communiſſimus effectus, primus & intimior omnibus aliis effectibus: Et ideo ſoli Deo convenit ſecundum naturam propriam talis effectus. Unde etiam, ut dicitur in libro de Cauſis;* intelligentia non dat eſſe, niſi prout in ea eſt virtus divina. *Sic ergo Deus eſt cauſa omnis actionis, prout quodlibet agens eſt inſtrumentum divinae virtutis operantis.* At luculentior idem ſe prodit alio in loco (b) *Deus non ſolum dat rebus virtutem, ſed etiam nulla res poteſt propria virtute agere, niſi agat in virtute ipſius, ut ſupra oſtenſum eſt: Ergo homo non poteſt virtute voluntatis ſibi data uti, niſi in quantum agit in virtute Dei. Illud autem in cujus vir-*

tute

(a) Quaeſt. 3. de Potentia art. 7. in Corp.
(b) Lib. III. contra Gentes Cap. LXXXIX.

tute agens agit, eſt cauſa non ſolum virtutis, ſed etiam actus: Quod in artifice apparet, in cujus virtute agit inſtrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit, ſed ſolum ab ipſo applicatur ad actum. Et infra ſic loqui pergit (a) *In quolibet agente eſt duo conſiderare, ſcilicet rem ipſam, quae agit, & virtutem, qua agit, ſicut ignis calefacit per calorem. Virtus autem inferioris agentis dependet a virtute ſuperioris agentis, in quantum ſuperius agens dat virtutem ipſam inferiori agenti, per quam agit, vel conſervat eam; aut etiam applicat eam ad agendum; ſicut artifex applicat inſtrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdum formam non dat, per quam agit inſtrumentum, nec conſervat; ſed dat ei ſolum motum. Oportet igitur, quod actio inferioris agentis non ſolum ſit ab eo per virtutem propriam, ſed etiam per virtutem ſuperiorum agentium.* Ex quibus ipſe ſtatim concludit: *Sicut igitur non eſt inconveniens, quod una actio producatur ex aliquo agente, & ejus virtute; ita non eſt inconveniens, quod producatur idem effectus* ab

(a) Ibid. Cap. LXXXXIV.

ab inferiori agente, & a Deo; ab utroque immediate, licet alio, & alio modo. In eodem demum Libro (a) *ſub Deo*, inquit, *qui eſt primum intelligens, & volens, ordinantur omnes intellectus, & voluntates, ſicut inſtrumenta ſub principali agente.* Longum praeterea vobiſque moleſtum fortaſſe contingeret, ſi pluribus ex celebrioribus Thomiſtis commemorandis incumberem, unde eorum cum Praeceptore ſententia clare diſtinctèque pateret. Inter hoſce plures conſulatur Cajetanus (b) atque Capreolus (c) ex quibus quid reliqui etiam hac ſuper re ſenſerint, colligi facile poterit.

COROLLARIUM IV.

§. 256. *Cauſa occaſionalis* improprie ſolum eo nuncupatur nomine, nec vere inter germanas Cauſarum claſſes locari valet. Quum enim ipſa non vi ſua intrinſeca efficere dicatur, ut alteri motus aut exiſtentia tribuatur; ſed agat, quatenus ſui occaſione & praeſentia *Principalis Cauſa* ad effectum producendum determinatur (§. 251.) hinc

(a) Cap. CXXXXVII.
(b) I. Part. quaeſt. 45. art. 5. ad Durandum.
(c) In 2. Diſtin. 28. quaeſt. 1. art. 3. ad 12.

hinc a vera *cauſae efficientis* indole longe diſtare perſpicitur (§. 249.)

COROLLARIUM V.

§. 257. Igitur *Cauſa occaſionalis* nihil eſt aliud, niſi id quod ſuperius *Conditio ſine qua non* definitum fuit (§. 220.) *Occaſionalis* quippe *cauſa* neceſſario ad habendum effectum requiritur; verum non ita, ut in illa ſit ratio cur effectus exiſtat.

DEFINITIO IX.

§. 258. *Cauſa univerſalis* illa vocatur, quae ad effectus diverſae prorſus naturae producendos ſe ſe extendit. Ita lucis reflexione & refractione varia in corporibus colorum genera apparent: Ita etiam ſol, quemadmodum lux eſt, *Cauſa* eſt *univerſalis;* quum ad eorum omnium, quae in ſublunari mundo fiunt, ſi vera ſunt quae a Peripateticis traduntur, productionem concurrat.

DEFINITIO X.

§. 259. *Particularis* ea vero *Cauſa* nuncupatur, quae ad unum duntaxat in ſpecie effectum, & quidem ejuſdem cum illa naturae, producendum determinata eſt. Hujuſmodi eſt homo; quippe qui nonniſi hominem generare poteſt.

COROLLARIUM.

§. 260. Utraque haec *Cauſa* propriam eſſentialemque habet *Cauſae* indolem: Utraque enim rationem continet, cur aliquid a ſe diſtinctum exiſtat ſeu producatur (§. 216.)

DEFINITIO XI.

§. 261. *Cauſa proxima* (quae etiam *immediata* appellari ſolet) ea eſt, cui, alia nulla ejuſdem generis & ordinis cauſa interveniente inter ipſam & effectum, effectus ipſe referri debet acceptus. Sic Pater eſt cauſa proxima filii: Nihil enim ipſum inter & filium intercedit vicinioris *Cauſae* per quam filius ad exiſtentiam perducatur.

DEFINITIO XII.

§. 262. *Cauſa vero remota* (quae etiam *mediata* vocatur) ea eſt, inter quam & ipſum effectum alia adeſt cauſa ejuſdem generis & ordinis, a qua dependeat effectus. Ita Avus ſi ad Nepotes conferatur *Cauſa remota* merito dicitur: Inter ipſum enim & Nepotes Filius ſuus, ipſorum Nepotum Pater, intervenit.

Corollarium.

§. 263. Itaque *Cauſa remota*, a verae *cauſae* natura decidit. In ipſa enim diminuta ratio continetur, cur effectus exiſtat.

Definitio XIII.

§. 264. *Naturalem* ita nobis lubet definire *Cauſam*; illam nimirum, quae ita juxta vires ſibi proprias operatur, ut in ipſa *Cauſae* natura contineatur ratio, cur ſic agat. Sic ignis *cauſa* combuſti ligni *naturalis* dici debet; tota nanque factae combuſtionis ratio in ipſius ignis natura ſita eſt.

Definitio XIV.

§. 265. *Supernaturalem* vero eam dicimus *cauſam*, quae quum aliquid molitur aut efficit, a communis naturae viribus adeo recedit, ut in ſuis exſerendis actionibus conatus utique explicet ſibi proprios, qui tamen totum naturae robur excedant. Sic mortui ad vitam revocatio a *cauſa ſupernaturali* penitus repetenda eſt: Ipſa enim tantum quidem habet virium, quibus defunctus exſuſcitetur; verum ipſius actio quoſcunque naturae fines egreditur.

Scho-

Scholion.

§. 266. Difficile admodum videri unicuique poterit volenti utramque modo expoſitam *cauſam* definire, quoties certos ſpectare ipſe nequeat naturae fines, quos ultra nihil, praeter quam *ſupernaturali Cauſae*, acceptum referre liceat; operoſum enim hoc opus, ac totus hic labor eſt: Nobis nimirum naturae vires a ſupernaturali activitate prorſus ſejunctas apprime funditusque explicare conantibus neceſſe eſſet potiſſimum ſingillatim univerſas rerum virtutes exploratas habere, quarum nulla aut ex detectis fuiſſet impervia, aut ex detegendis futura eſſet abſcondita: Omnia denique uno quodammodo intuitu velut ob oculos poſita opus eſſet attingere. Quum vero hujuſmodi tam late patens ſtudium non ſolum impoſſibile factu ſit, verum etiam vitae humanae brevitati, & ſenſuum imbecillitati nulla ratione accomodari valeat, conſultius erit proinde ſi naturae activas vires pro intrinſeco earum omnium ſenſibilium mutationum principio uſurpemus, quae conſtanti lege in mundo contingunt; atque inde obſcure ſaltem quantum *naturalis Cau-*

ſae

ſae robur ſe ſe extendat, colligamus. Quidquid itaque ex adverſo ejuſmodi principio opponi ſeu potius praevalere, ipſumque tranſcendere conſpiciemus, id certe ex *ſupernaturali cauſa* proficiſci arguere quoquomodo poterimus. Quapropter ii quoque dicendi erunt effectus a *cauſa naturali* prodeuntes, quorum ſufficientem rationem in ipſa corporum natura contineri aliquatenus intelligemus; Ita combuſtio ſtuppae *ex. gr.* naturalis cenſendus erit effectus. Contra vero ii a *ſupernaturali Cauſa* geniti quodammodo haberi poterunt effectus, quorum ratio ſufficiens in eorundem corporum natura minime comprehenditur: Ita viſus reſtitutio homini a nativitate oculis orbato ſupernaturalis effectus dici omni dubio procul debet; immo miraculoſus habendus eſt, quod univerſas naturae vires tranſcendat.

Corollarium.

§. 267. Itaque portentoſa erit *cauſa*, in qua miraculoſi effectus ratio continetur.

Scholion.

§. 268. Effectus miraculoſus, cujus ratio in portentoſa & *ſupernaturali cauſa* comprehenditur, bifariam ita nuncupari ſolet; mi-

miraculoſus nimirum *quoad ſubſtantiam*, nec non *quoad modum*. Effectus miraculoſus *quoad ſubſtantiam* dicitur ille, qui in ſemetipſo ſpectatus non habet exiſtentiae ſuae ſufficientem rationem in corporum natura: Ille vero miraculoſus vocari uſuvenit & *ſupernaturalis Cauſae* effectus *quoad modum*, qui non habet in natura rationem ſufficientem *illius modi*, quo ipſe efficitur; etſi idem *abſolute* inſpectus naturae vires nequaquam excedat. Sic reſuſcitatio mortui miraculoſus eſt effectus *quoad ſubſtantiam*, eo quia opus illud in ſe acceptum eſt hujuſmodi, ut ſufficiens in natura non inveniatur ratio, cur ipſum exiſtat. Contra vero inſtantanea ſanitatis reſtitutio illa, quae infra periodicum temporis ſpatium naturae viribus comparari poterat, non eſt effectus miraculoſus, niſi *quoad modum*: Etenim nonniſi *modum*, quo ipſa reſtituitur, naturae deeſſe comperimus.

DEFINITIO XV.

§. 269. *Neceſſaria* dicitur *Cauſa*, quae natura ſua ad operandum adeo determinata eſt, ut poſitis omnibus, quibus ad agendum eſt opus, ipſa non operari nequa-

quam poſſit. Sic flammantis candelae alteri extinctae appropinquatio Cauſa neceſſaria eſt combuſtionis; poſita namque unius ad alteram ſufficienti diſtantia nequit profecto extincta candela non accendi.

S c h o l i o n.

§. 270. *Cauſa* ad agendum, poſitis omnibus ad effectum praerequiſitis, per ſuam naturam neceſſario determinata, ſolet etiam *naturalis* nuncupari. Huic tamen opponitur *Cauſa libera*, de qua ſit

D e f i n i t i o XVI.

§. 271. *Cauſa* illa dici debet ex adverſa ratione *libera*, in qua, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, verſatilis quaedam habeatur ratio, cur effectus ad exiſtentiam perduci poſſit, ſimulque non poſſit; ſive in qua eadem adſit ratio, cur effectu jam exiſtente, ejus oppoſitum fieri potuiſſet, aut cur effectus ipſe produci nequaquam perinde potuiſſet.

S c h o l i o n.

§. 272. Plura eſſent hic animadvertenda, diſtinctiſque definitionibus explananda, quae ad *Cauſae liberae* naturam ſpectare viderentur, niſi ea ipſa fuſius opportuniu-

ſque

ſque redire neceſſe eſſe perſpiceremus, quum de Animae rationalis viribus atque functionibus in *Pſychologia* a nobis erit agendum. Interim ſatis eſſe modo videtur, ſi ad rem noſtram traditam brevi lucubratione definitionem prae oculis habeamus.

Corollarium.

§. 273. *Cauſa neceſſaria* & *libera* rationem in ſe aeque habet ſufficientem cur effectus exiſtat: At diverſa eſt ſpecifice eadem ratio, quae in utraque reperitur. Quum enim effectus *Cauſae neceſſariae* neceſſarius, *Liberae* vero *Cauſae* liber ſit appellandus; profecto diſcrimen hujuſmodi nonniſi a diverſa *ſpecifice* ratione ſufficienti poteſt oriri.

Definitio XVII.

§. 274. Cauſa efficiens *per ſe* illa dicitur, quae ex ipſa ſua natura ad eum effectum producendum ordinata eſt, cujus Cauſa dicitur. Ita Faber Lignarius affabre dolatae arcae Cauſa *per ſe* efficiens dicitur: Ipſe enim artis ſuae virtute rationem in ſemetipſo habet ſufficientem, cur arca ipſa bene dolata & ornata exiſtat.

Definitio XVIII.

§. 275. Cauſa autem efficiens, quae *per accidens* vulgo appellatur, illa eſt, quae ex natura ſua, ſive *ut talis* effectum ipſum haudquaquam reſpicit. Sic idem Faber Lignarius Cauſa *per accidens* eſt, ſi idem, ut Faber, fidibus pulſet, ſi pſallat, ſi ſaltandi ſit Magiſter, aut ſi denique in alia quavis arte a lignaria plane diverſa peritus habeatur: Ipſe enim, ut Faber Lignarius, eorum omnium quae commemorata modo ſunt, nonniſi *Cauſa per accidens* exiſtimari debet; quippe qui in Arte ſibi praecipua rationem ſufficientem non contineat cur recenſiti effectus exiſtant. Quare ſit

Corollarium I.

§. 276. Igitur *Cauſa per accidens* a ratione verae Cauſae deficit plane: In ipſa enim ut tali non continetur ratio, cur effectus exiſtat.

Corollarium II.

§. 277. Igitur *Cauſa per ſe* & *Cauſa per accidens* adeo ſunt duo inter ſe diverſa, ut relate ad veram Cauſae efficientis naturam comparentur tanquam *aliquid* ad

Ni-

Nihilum. Etenim *Cauſa per ſe* ſufficientem in ſe habet rationem cur effectus exiſtat (§. 274.) Cauſa vero *per accidens* illa eſt, quae hujuſmodi rationem ut *talis* non habet (§. 275.) Ergo comparantur tanquam *aliquid* ad *Nihilum*; eo quia *Nihilum exiſtentiae* illud vocatur quod nullam ſui rationem ſufficientem continet (§. 135.)

COROLLARIUM III.

§. 278. Igitur *Fatum Chriſtianum Cauſa per ſe efficiens* dicenda eſt; in ipſo namque continetur ratio cur univerſa in mundo contingant. (§. 213.)

COROLLARIUM IV.

§. 279. Igitur *perennis* illa *vis*, qua mundana omnia conſervari aſſeruimus (§. 214.) *Cauſa* vere *per ſe efficiens* aeque dici debet: Ex ea quippe tota petitur ratio ſufficiens, cur illa perpetuo conſerventur.

SCHOLION.

§. 280. Quae itaque hactenus de variis Cauſarum generibus dicenda eſſe mihi neceſſario viſa ſunt, eo ſolum ſpectabant, ut expleta hac ſuper re per definitiones, Co-

rollaria, & animadverſiones doctrina, ipſarum Cauſarum vires nonnullis Propoſitionibus ſtatui poſſent; quemadmodum erimus propediem facturi. Antequam vero id aggrediamur neceſſe fore puto Lemmata duo afferre, quae demonſtrandis viam facile ſternere valeant. Sit itaque abſque alia verborum mora

LEMMA I.

Quod nihil eſt reipſa nullius rei efficiens cauſa eſſe poteſt.

§. 281. *Demonſtratio:* Quod nihil eſt, nullam ſui rationem ſufficientem continet (§. 135.) Ergo multo minus alterius rei rationem continere valet; quod Cauſae cuilibet efficienti eſſentiale eſt (§. 244. §. 245.) Quod Cauſae cuilibet eſſentiale eſt, multo magis Cauſae efficienti phyſicae eſſentiale dici debet: Quod Cauſae efficienti phyſicae eſſentiale eſt, phyſicam realemque explicat rationem, cur effectus exiſtat: Quod phyſicam realemque explicat rationem, actionem quoque aliquam explicare debet; eo quia nequit efficiens concipi cauſa quaepiam ad ſuum effectum relativa, cui actio aliqua non reſpondeat,

& ef-

& effectui paſſio non imprimatur perinde aliqua (§. 240.) Cui actio aliqua non reſpondet, nulla ſui ratio ſufficiens reſpondere poteſt, nec paſſio in effectu perinde ulla (§. 241.) Ergo quod nihil eſt reipſa, nullius rei efficiens cauſa eſſe poteſt.

LEMMA II.

Nullus effectus poteſt in ſe habere aliquid, quod in ſua adaequata efficienti Cauſa non contineatur.

§. 282. *Demonſtratio:* Etenim ſi aliquid in effectu haberetur &c., magna ſequeretur contradictio; eo quia *Cauſa adaequata* exiſteret ſimul & *inadaequata*. Eſſet quippe *adaequata* ex facta hypotheſi: Non eſſet vero, quum non omnium eorum, quae ſunt in effectu, rationem ſufficientem *Cauſa* ipſa contineret; ex quo inferretur *inadaequatae Cauſae* natura (§. 221.) Ergo nullus effectus poteſt in ſe &c.

COROLLARIUM I.

§. 283. Si effectus aliquid haberet, quod in adaequata ſua non contineretur efficienti *Cauſa;* vel hoc aliquid ex nihilo eſſet; quod repugnat, quum nihili nulla ſit ratio ſufficiens (§. 135.); vel hoc idem

aliquid in aliâ *Cauſa inadaequata* contineri dicendum eſſet, cujus ipſa rationem ſufficientem in ſe habet.

COROLLARIUM II.

§. 284. Quod in *adaequata Cauſa* efficienti, tanquam ratio ſufficiens effectus contineri neceſſe eſt, tantum rationis ſufficientis complectitur, quantum in ipſo effectu *paſſionis* relucere debet. Etenim ſi ſecus, eſſet aliqua in effectu *paſſio*, quae actioni cauſae non reſponderet; quod repugnat (§. 240.)

PROPOSITIO IX.

Cauſa efficiens illud per ſe reſpicit, cujus eſt Cauſa.

§. 285. *Demonſtratio Soritica methodo:* Cauſae efficientis notio tam in actu primo, quam in actu ſecundo relativa eſt (§. 239.) Quod ſic relativum eſt, nequit concipi, cui ſimul actio aliqua non reſpondeat & effectui paſſio non imprimatur perinde aliqua (§. 240.) Quod ſic relative concipitur, cauſa efficiens phyſica dicitur (§. 244.) Quae phyſice Cauſa efficiens eſt, Cauſa principalis eſt (§. 249.) Quae principalis eſt Cauſa, vel univerſalis,

vel

vel particularis eſt (§. 258. §. 259.) Quae utraque ratione Cauſa dicitur, propriam eſſentialemque habet Cauſae indolem (§. 260.) Quae propriam eſſentialemque habet Cauſae indolem, Cauſa proxima eſt, ſive immediata (§. 201.) Quae proxima, ſive immediata eſt Cauſa, vel naturalis vel ſupernaturalis eſt (§. 264. §. 265.) Quae utroque modo Cauſa eſt, rationem quoque habet ex aequo, cur effectus exiſtat (§. 264. §. 267.) Quae rationem habet, cur effectus exiſtat, aliquid exiſtens eſſe debet; eo quia quod nihil eſt nullius rei efficiens Cauſa eſſe poteſt (§. 281.) Quae ſic Cauſa exiſtens eſt, ejus effectus, cujus dicitur Cauſa, adaequata Cauſa eſſe debet; eo quia nullus effectus poteſt in ſe habere aliquid, quod in ſua adaequata efficienti Cauſa non contineatur (§. 282.) Quae alicujus effectus adaequata Cauſa eſſe debet, tantum in ſe quoque rationis ſufficientis complectitur, quantum in ipſo effectu paſſionis elucet (§. 284.) Ergo Cauſa efficiens illud per ſe reſpicit, cujus eſt Cauſa.

Corollarium I.

§. 286. Ergo Cauſa neceſſaria & libera illud per ſe reſpicit, cujus eſt Cauſa: Utraque enim rationem in ſe habet ſufficientem, cur effectus exiſtat (§. 273.)

Corollarium II.

§. 287. Ergo etiam Cauſa efficiens *per ſe* illud per ſe debet reſpicere, cujus eſt Cauſa (§. 274.)

Corollarium III.

§. 288. Ergo quaecunque concipiatur Cauſa, quae actione ſui reali veram non habeat in ſe rationem, cur effectus exiſtat, nihilum eſt; eo quia quod nihil eſt nullam ſui rationem ſufficientem continet (§. 135.); ergo multo minus alterius rei rationem continere valet, quemadmodum ad Cauſae efficientis & phyſicae eſſentiam neceſſarium eſt (§. 235. §. 244.)

Propositio X.

Quae Cauſa per ſe & proprie non efficit, nihil agere dicenda eſt.

§. 289. *Demonſtratio:* Ea Cauſa nihil agere dicenda eſt, cui actio aliqua non reſpondeat, & effectui paſſio non imprimatur perinde aliqua (§. 240.); eo quia actio-

ctioni nullae, nulla quoque in effectu paſſio poteſt reſpondere (§. 241.). Sed Cauſae, quae *per ſe* & *proprie* non efficit, nulla reſpondet actio, neque actioni nullae ulla in effectu paſſio reſpondere poteſt: Ergo quae Cauſa *per ſe* & *proprie* non efficit, nihil agere dicenda eſt.

Prob. min. Quaevis Cauſa, quae *per ſe* & *proprie* non efficit, vel Cauſa eſt illa, quae dicitur *per accidens* (§. 276.), vel *Inſtrumentalis* (§. 253.), vel *Occaſionalis* (§. 253.), vel *Metaphyſica*, vel demum *Moralis* eſt (§. 247.) Sed hiſce Cauſis nulla reſpondet actio, neque proinde actioni nullae in effectu paſſio ulla reſpondere poteſt; ut demonſtratum fuit: Ergo Cauſae, quae *per ſe* & *proprie* non &c.

COROLLARIUM I.

§. 290. Ergo Cauſa efficiens *per ſe* & *proprie* collata cum Cauſa illa, quae *per ſe* & *proprie* non efficit, comparari debet tanquam *aliquid* ad *Nihilum*. Etenim Cauſa efficiens *per ſe* illud debet reſpicere, cujus eſt Cauſa (§. 285. §. 287.). Quaecunque item concipiatur Cauſa ex adverſo, quae actione ſui reali veram in ſe non ha-

habeat rationem, cur effectus exiſtat, *Ni-hilum* eſt (§. 288.). Ergo &c.

COROLLARIUM II.

§. 291. Cauſae Metaphyſicae & Moralis vis & efficientia, etſi actione aliqua reali, cui paſſio perinde aliqua reſpondeat, *per ſe* & *proprie* agere non dicatur, aliquid tamen ab ea pendet exiſtens, cujus *ratio ſufficiens* in eadem reperiatur: Aut enim concipiuntur eſſentiae affectiones *ex. gr.* ab ea, tanquam ab effectrice Cauſa dimanare (§. 245.); aut prudentum judicio & opinione cenſetur aliquis per ſuaſiones homicidii *ex. gr.* Auctor & Cauſa (§. 246.)

COROLLARIUM III.

§. 292. Ergo quidquid exiſtit, aut ab actione aliqua pendet, & a Cauſa rei (§. 226.), aut a ratione ſufficienti, & a Cauſa cognitionis; eo quia omnis Cauſa rationem in ſe habet, aut cur aliquid a ſe diſtinctum exiſtat, aut cur unum ab alio pendeat ratione ordinis vel ſcientiae (§. 227.)

SE-

SECTIO V.

De Entis exiſtentia Simplici & Compoſita.

MAnca profecto atque imperfecta hac in ſcientia peritis noſtra Prior Metaphyſices Pars viſa eſſet, Vobiſque haud integre fuiſſet profutura, ſi poſteaquam de Cauſarum viribus actum a nobis fuerat, de Entis quoque exiſtentia Simplici atque Compoſita non aeque, quantum valuimus, egiſſemus. Enimvero eo uſque pertingere Ens exiſtens conſtabit, ut niſi quid Simplex ſit atque Compoſitum oſtendatur, & quantum utrumque in ſui productione aut deſtructione expendendum ſit, aliquot Propoſitionibus conſtituatur, Ontologiae Tractatio aliquid ſemper ſit deſideratura, ſub cujus adſpectu Ens ſit a Metaphyſicis contemplandum. Quum vero auſpice fortuna hoc a nobis fuerit abſolutum, haud immerito dici poterit totam in Ontologicis rebus nos celeriter percurriſſe Provinciam. Ut caeptum itaque curſum conficiamus, & ad exitum ſupremum perducamus continuo ſit

DE-

DEFINITIO I.

§. 293. *Exiſtentia eſſentialiter ſimplex* illa vocatur, *cujus eſſentia non conſtat ex pluribus reipſa diſtinctis inter ſe, atque a ſe mutuo ſeparabilibus*. Sic Deus eſt exiſtens eſſentialiter ſimplex; quippe in illius eſſentia plura diſtingui non poſſunt, ex quorum unione ipſa conſurgat.

DEFINITIO II.

§. 294. *Illud vero exiſtens eſſentialiter compoſitum* vocatur, *cujus eſſentia ex pluribus conſurgit reipſa diſtinctis inter ſe, & a ſe mutuo ſeparabilibus*. Talis eſt homo. Eſſentialiter ſiquidem conſtat ex anima rationali, & corpore.

SCHOLION.

§. 295. Quae hic de compoſitione exponuntur, de illa volumus intelligere, quae phyſica & realis eſt: Quae enim *Metaphyſica* a Philoſophis appellatur; ſive quae item *Logica* dicitur compoſitio, *exiſtenti compoſito* haudquaquam conveniunt; quippe *Metaphyſica compoſitio* ex eſſentia & proprietatibus, *Logica* vero ex genere & differentia ſolum coaleſcunt.

DE-

DEFINITIO III.

§. 296. *Ex ſui nihilo exiſtere*, ſeu *fieri* aliquid dicitur, *quum ita ſit, ut nihil prorſus antea in rerum natura extiterit, ex quo illud intrinſecus componatur; ſive, quod ad illius eſſentiam intrinſecus pertineat*. Sic anima rationalis dicitur fieri *ex nihilo ſui*. Nihil eſt enim in rerum natura, ex quo praeexiſtente, tanquam ex parte, rationalis anima, veluti totum aliquod eſſentialiter fiat: uno verbo, ita ſit, ut nihil ejus fuerit, antequam ipſa fieret, aut exiſtentiam haberet.

DEFINITIO IV.

§. 297. Abire dicitur *in nihilum ſui*, *quod ita perit, ut nihil prorſus illius in rerum natura ſuperſit*. Sic abiret homo *in nihilum ſui*, ſi neque anima, neque aliquid corporis in rerum natura poſt illius mortem relinqueretur.

DEFINITIO V.

§. 298. *Ex nihilo ſubjecti* res fieri dicitur, quum res ipſa a ſubjecto, ut fiat atque exiſtat, non dependet. Hoc modo fit humana mens, etſi corpori conjuncta producatur. Non enim ipſa ſua natura ita de-

dependet a ſubjecto, ut neque fieri, neque exiſtere poſſit, quin in ſubjecto fiat, in eoque exiſtat.

DEFINITIO VI.

§. 299. Dicitur res *in nihilum* habire *ſubjecti*, *quum perit*, *quin in ſubjecto*, *a quo natura ſua dependeat*, *deſtruatur*. Sic humana mens abiret *in nihilum ſubjecti*, ſi in morte periret. Nullum quippe ſubjectum eſt, a quo ipſa mens natura ſua dependeat.

COROLLARIUM I.

§. 300. Omne exiſtens vel eſſentialiter ſimplex eſt, vel compoſitum. Cujuſvis enim exiſtentis eſſentia vel intrinſecus conſtat ex pluribus (§. 294.), vel non conſtat (§. 293.)

COROLLARIUM II.

§. 301. Sumta ſubſtantia *pro ente per ſe exiſtente*, ex nihilo ſubjecti efficitur: Quod enim *per ſe* exiſtit non dependet a ſubjecto (§. 144.)

COROLLARIUM III.

§. 302. Omnis ſubſtantia, ſi *pro ente per ſe exiſtente* ipſa ſumatur, deſtrui nequit, quin in ſubjecti nihilum abeat: Quod enim

enim exiſtit *per ſe* a ſubjecto non dependet (§. 144.)

DEFINITIO VII.

§. 303. *Creatio eſt productio rei ex nihilo ſui & ſubjecti*. Duo nimirum requiruntur, ut res aliqua creari dicatur. Primum eſt, ut res fiat ex nihilo ſui; videlicet ea ratione, ut nulla eſſentialis illius pars praeexiſtat, antequam res ipſa fiat (§. 296.) Secundum, ut fiat, quin aliquod habeatur ſubjectum, a quo res ipſa in ſua productione intrinſecus dependeat (§. 298.) Sic anima rationalis dicitur a Deo creari; quia nihil praeexiſtit, ex quo mens ipſa intrinſecus componatur; neque in ſubjecto, in quo fiat, natura ſua dependet.

DEFINITIO VIII.

§. 304. *Annihilari res quaelibet* dicitur, *quum ita deſinit eſſe, ut abeat in nihilum ſui & ſubjecti*; videlicet, ut nihil ipſius remaneat (§. 297.) neque in ſubjecto, a quo natura ſua pendeat, deſtruatur (§. 299.) Hoc modo periret humana mens: Quandoquidem nihil illius relinqueretur; neque ſubjectum poſtularet intrinſecus, ut exiſteret.

PROPOSITIO XI.

Nequit exiſtere Ens Compoſitum, quin vel exiſtat Ens Simplex; vel proceſſus in infinitum in iis admittatur, quae ipſum Ens intrinſecus conſtituunt.

§. 305. *Demonſtratio:* Quum enim omne Ens ſit vel Simplex, vel Compoſitum (§. 300.) hujuſcemodi quoque erit id omne, ex quo ipſum Ens intrinſecus coaleſcit. Itaque ſi illud eſt Ens Simplex, jam patet exiſtere Ens Simplex, ſi habetur Ens Compoſitum. Si vero eorum quodlibet eſt Compoſitum, quaero de ſingulis, cujuſcemodi ſint; atque ita deinceps in infinitum. Ergo &c.

PROPOSITIO XII.

Non habetur Ens Compoſitum, dum a ſe mutuo ſeparata exiſtunt ea, ex quibus ipſum Ens intrinſecus coaleſcit.

§. 306. *Demonſtratio I.* Dum enim ea ſeparata ſunt inter ſe, ex quibus Ens aliquod conſtare intrinſecus dicitur, nulla prorſus habetur compoſitio, quae ex pluribus debet conſurgere (§. 294.) Ergo nullum quoque habetur Ens Compoſitum.

De-

Demonſtratio II. Si illa, ex quibus Ens Compoſitum conſurgit, ſpectentur ut ſeparata, non ſunt unum ſed multa: Ens autem Compoſitum vere eſt recteque dicitur ſua eſſentia unum (§. 47.) Ergo poſita partium ſeparatione, nullum eſt Ens Compoſitum.

COROLLARIUM.

§. 307. Hinc *ea omnia, ex quibus Componitur Ens, poſſunt reipſa exiſtere, quin ipſum Ens in rerum natura habeatur.* Illa ſiquidem omnia poſſunt exiſtere, quin inter ſe mutuo ſint unita, ac proinde quin illud habeatur Ens, quod ex illis conſtare dicitur. Profecto facta ſeparatione animae rationalis a corpore per mortem, non habetur homo; & tamen tam anima, quam corpus tunc exiſtunt.

PROPOSITIO XIII.

Ens Compoſitum non eſt aliud reipſa ab iis omnibus ſimul ſumtis & unitis, ex quibus intrinſecus coaleſcit.

§. 308. *Demonſtratio I.* Ea, ex quibus intrinſecus conſtat Ens Compoſitum, efficiunt aliquid unum, quod indiviſum quidem reipſa in ſe eſt, at non proinde in-

diviſibile (§. 46.) Ergo ſunt illud ipſum Ens, quod ex illis intrinſecus conſtare dicitur.

Demonſtratio II. In Ente Compoſito ea tantum nobis occurrunt, ex quibus conſtat intrinſecus, ſimul unita. Sic concipitur homo, quum percipitur mens humana corpori copulata; neque aliud quidquam nobis in homine occurrit, niſi anima rationalis, corpus organicum, & eorum unio. Ergo Ens Compoſitum non eſt aliud reipſa ab iis ſimul ſumtis, ex quibus intrinſecus coaleſcit. Equidem non video, nec videre unquam potui, quomodo totum ſit aliud reipſa a ſuis partibus ſimul ſumtis atque unitis, ſi dum concipitur totum, nihil aliud, niſi omnes ipſae partes ſimul unitae concipiantur.

COROLLARIUM.

§. 309. *Igitur, ut Ens Compoſitum deſinat eſſe, ſufficit, ut ea ſeparentur a ſe mutuo, ex quibus conſtat. Ut autem fiat, ſatis eſt, ut ea, ex quibus dicitur intrinſecus coaleſcere, ſimul apta ratione conjungantur.* Nullum eſt enim Ens Compoſitum, dum ea ſeparata ſunt a ſe mutuo, ex quibus

bus conſtat (§. 306.); ipſumque nihil reipſa eſt diverſum ab omnibus ſuis partibus ſimul unitis (§. 308.).

PROPOSITIO XIV.

Ens Compoſitum eſt aliud reipſa a quolibet eorum diviſim ſumto ab aliis, ex quibus intrinſecus conſurgit.

§. 310. *Demonſtratio*: Etenim Ens Compoſitum plura eſſentia ſua, ut ſit unum Compoſitum, involvit; ea ſcilicet omnia, ex quibus dicitur intrinſecus coaleſcere. Ergo eſt aliud reipſa a quolibet eorum ſeorſim ab aliis ſumto. Sic homo eſt aliud reipſa tum a corpore, tum ab anima, ſi diviſim ſpectentur; quum ſua in eſſentia tum animam, tum organicum corpus contineat.

PROPOSITIO XV.

Ens Simplex non poteſt fieri, niſi ex nihilo ſui.

§. 311. *Demonſtratio*: Quum enim Ens Simplex non conſtet ex pluribus (§. 293.), nihil haberi poteſt in rerum natura, ex quo praeexiſtente ipſum Ens intrinſecus componatur. Illud namque eſſet pars intrinſeca ipſius Entis (§. 296.). Ergo Ens Simplex nonniſi ex ſui nihilo poteſt produci.

Propositio XVI.

Subſtantia Simplex non poteſt fieri, niſi per creationem.

§. 312. *Demonſtratio:* Subſtantia ſive Ens Simplex non poteſt fieri, niſi ex nihilo ſui (§. 311.) & ex nihilo ſubjecti (§. 298.): Creatur autem, quod ex nihilo ſui, atque ſubjecti efficitur (§. 303.) Ergo ſubſtantia Simplex non poteſt niſi per creationem produci.

Propositio XVII.

Ens Simplex perire nequit, niſi in ſui nihilum abeat.

§. 313. *Demonſtratio:* Si namque ita periret Ens Simplex, ut aliquid illius relinqueretur, jam ex illo, tanquam ex parte intrinſecus coaleſceret. Ergo non eſſet Ens Simplex (§. 293.). Perire igitur haud poteſt Ens Simplex, quin in ſui nihilum abeat (§. 297.)

Propositio XVIII.

Non poteſt perire ſubſtantia Simplex, niſi per annihilationem.

§. 314. *Demonſtratio:* Nam ſubſtantia Simplex perire non poteſt, quin tum in nihilum ſui (§. 313.) tum in nihilum

ſubje-

ſubjecti ipſa redigatur (§. 302.) Ergo perire nequit niſi per annihilationem (§. 304.)

PROPOSITIO XIX.

Poteſt fieri Ens Compoſitum, quin fiat ex nihilo ſui.

§. 315. *Demonſtratio:* Enimvero quum Ens Compoſitum ex pluribus intrinſecus conſtet (§. 294.), eaque poſſint eſſe hujuſmodi, ut eorum unum queat exiſtere, caeteris non exiſtentibus, ac proinde, quin exiſtat ipſum Ens Compoſitum (§. 307.), poteſt ipſum Ens fieri ex uno illorum jam praeexiſtente. Ergo produci poteſt, quin ex ſui nihilo producatur (§. 296.)

COROLLARIUM.

§. 316. *Ergo poteſt fieri Ens Compoſitum, quin creetur.* De ratione namque creationis eſt, ut res ex ſui nihilo producatur (§. 303.)

PROPOSITIO XX.

Interire poteſt Ens Compoſitum, quin in ſui nihilum abeat.

§. 317. *Demonſtratio:* Enimvero, quemadmodum fieri poteſt Ens Compoſitum ex praeexiſtente ſubjecto, ita poteſt perire, quin ea omnia ſimul pereant, ex quibus in-

intrinſecus coaleſcit. Ergo interimi poteſt Ens Compoſitum, quin in ſui Nihilum redigatur (§. 297.)

COROLLARIUM.

§. 318. *Poteſt perimi Ens Compoſitum, quin illius deſtructio ſit annihilatio.* Id enim neceſſario poſtulat annihilatio, ut res in ſui nihilum abeat (§. 304.)

PROPOSITIO XXI.

Poteſt fieri Ens Compoſitum, quin ulla prorſus abſoluta entitas ex nihilo ſui producatur.

§. 319. *Demonſtratio:* Etenim Ens Compoſitum hoc ipſo praeciſe fit, quod ea ſimul uniantur, ex quibus dicitur ipſum Ens intrinſecus coaleſcere (§. 309.) Nulla autem producitur abſoluta Entitas ex eo tantum, quod fiat aliquorum unio. Ergo poteſt fieri Ens Compoſitum, quin abſoluta aliqua entitas ex ſui nihilo producatur.

COROLLARIUM.

§. 320. *Poteſt ergo fieri Ens Compoſitum, quin aliqua entitas abſoluta creetur.* Nihil enim creatur, ſi ex ſui nihilo nihil efficitur (§. 303.)

PRO-

PROPOSITIO XXII.

Poteſt deſtrui Ens Compoſitum, quin aliqua entitas abſoluta in ſui nihilum redigatur.

§. 321. *Demonſtratio:* Nam deſtruitur Ens Compoſitum hoc ipſo praeciſe, quod ſeparantur ea a ſe mutuo, ex quorum unione illud conſurgit (§. 309.) Nulla autem tunc perit entitas abſoluta, ut patet. Ergo perire poteſt Ens Compoſitum, quin entitas aliqua abſoluta in ſui nihilum abeat (§. 297.)

COROLLARIUM.

§. 322. Ergo *poteſt perire Ens Compoſitum, quin habeatur abſolutae alicujus entitatis annihilatio*. Non enim habetur annihilatio abſolutae alicujus entitatis ſi nulla hujuſcemodi entitas in ſui nihilum redigatur (§. 304.)

Hactenus de univerſa Ontologia breviter, quantum fieri potuit, ſermocinati ſumus. Deinde vero ad graviora utilioraque tranſeundum nobis eſt; quibus de Pſychologia, accurate pro viribus, juxta uſitatam methodum agemus.

Digitized by Google

METAPHYSICES

PARS SECUNDA.

PSYCHOLOGIA.

JAm ſatis de Ontologia pro brevitate propoſita diſſeruiſſe non dubito. Quare illa abſoluta, Pſychologiam aggredi eadem methodo neceſſe eſt modo; eam ſcilicet Metaphyſicae Tractationem, in qua prope divina illius ſubſtantiae, per quam homo eſt homo, natura inquiritur, immortalitas demonſtratur; in qua ejus vires mirificae oſtenduntur, aliaque plurima ad eandem pertinentia adſtruuntur atque invicte propugnantur. Non eſt idcirco, cur longo ſermone in comperto locetur, quanta hujuſce Par-

Partis utilitas ſit atque praeſtantia. Satis hac de re me dixiſſe arbitror, ſi id unum dixero, *rationalem* eſſe *animam*, quam Pſychologia contemplatur. *Nihil enim potentius iſta creatura, quae mens dicitur rationalis* (teſtatur S. Auguſtinus) *nihil hac creatura ſublimius: Quidquid ſupra iſtam eſt, jam Creator eſt* (a). In tria itaque Capita totam Pſychologiam noſtram partiemur. Primum Mentis humanae naturam ejuſque principium complectetur: Secundum admirandum plane exhibebit commercium illud, quod mentem ipſam inter ac corpus exiſtere certum eſt: Poſtremum de ejuſdem humanae Mentis viribus atque functionibus Tractationem inſtituet. Quare ſit

CAPUT PRIMUM.

De mentis humanae natura ejuſque principio.

RAtionalem animam, ſive humanae mentis naturam pernoſcere tanti intereſſe debet, quanti certe intereſt ſemetipſum

(a) Tract. XXIII. in Joannem num. 6.

tipſum juxta Platonicum praeceptum [a] apprime noſcere. *Eſt enim illud quidem maximum*, inquit Tullius [b], *animo ipſo animum videre; & nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut ſe quiſque noſcat.* Fateor equidem, quemadmodum Philoſophum decet ingenuum nihil eſſe in tota qua late patet Metaphyſices Provincia ad decernendum difficilius, ubi de rationali anima diſputatur; ac tum maxime ubi de illius nativa indole inquiſitionem aggredimur. *Habere nos animum*, inquit Seneca [c], *cujus imperio & impellimur, & revocamur, omnes fatebuntur; quid tamen ſit animus, ille rector dominuſque noſtri, non magis tibi quiſquam expediet, quam ubi ſit.* Atque eo magis ſuſcepti Operis difficultatem augeri in me ſentio, quo magis anceps, confuſa, & diſcors eorum eſt Philoſophorum de mente humana ſententia, qui caeteroqui clariſſimi atque rerum ſcientia excultiſſimi, tanquam ſupremi cultioris Philoſophiae Praecepto-

(a) In Alcibiade I. ſive de hominis natura.
(b) QQ. Tuſcul. Cap. XXII.
(c) Lib. VII. QQ. Natur. Cap. XXIV.

ceptores ſpectandi eſſent a nobis, atque attento ſtudio conſulendi. Inſtituta brevitas profecto non patitur veterum Philoſophorum placita ex Laertio, Tullio, aliiſque graviſſimis perſequi: Eorum tamen tanta eſt hac ſuper re diſcrepantia, ut S. Juſtini Martyris effato (a) hac una ſolum ratione, *Viris recto judicio praeditis laudanda videatur*, *quod eis illud propoſitum ſit ſtudium*, *ut ſe invicem hallucinari*, *minimeque vera afferre*, *arguant & convincant*. Multo vero magis de animi natura pro dignitate diſſerere operoſum cenſeo, noſtra praeſertim tempeſtate, in qua; proh dolor! tam horrenda vigent de hominis anima opinionum monſtra, ac ſerpunt quotidie magis, ut non jam cum vetuſtiſſimis tantum Philoſophis qui multo ante nos deceſſerunt, verum; quod eſt difficilius; cum recentiſſimis ſcriptoribus, cum acutiſſimis viris, cum viventibus, cum rigidiſſimis rerum quarumcunque cenſoribus nobis eſt congrediendum. Nobis nimirum philoſophantibus neceſſe cumprimis eſt *Materialiſtarum*, *Idealiſtarum*, aliorumque id genus opi-

(a) Paraeneſi ad Graecos.

opiniones convellere atque exſufflare; deinde vero quid humanus ſit animus apodictica demonſtratione, contra tot diſſentientium conatus, conſtituere. At vero, ut inquit Tullius [a]; *quia difficilis erat animi, quid, aut qualis eſſet, intelligentia*, aut cum Dicaearcho (de quo ab eodem Tullio [b] memoriae proditum eſt) animum de medio tollendum eſt, aut animo ipſo deſpondere patiar? Iſtud ſane utrumque, aut nefas eſt, aut dedecet cogitare.

Quum itaque omnes de humanae mentis natura Philoſophorum ſententiae ad duo veluti ſuprema capita revocari optime poſſe videantur (vel ſcilicet hujuſcemodi ponitur mens, ut nihil eſſe dicatur a corporea ſubſtantia diverſum; vel ejus ipſa eſſe dicitur naturae, ut a corporea quavis ſubſtantia penitus diſtinguatur), id unum idcirco diſcutiemus in praeſens, atque in eo noſtra quammaxime verſabitur diſceptatio; ad quodnam ſubſtantiae genus mens noſtra revocanda ſit; nimirum, an humana mens ſublimioris ſit ordinis praeſtantiori-

ſque

(a) QQ. Tuſc. Lib. I. Cap. XXII.
(b) Ibidem Cap. X.

ſque naturae, quam corporea quaeque ſubſtantia; num vero ſit talis, ut inter materialia Entia collocari, & ipſa jure ac merito queat.

SECTIO I.

Quid non ſit mens humana.

NIhil profecto aptius ad rem, quae admodum involuta ſit, detegendam inveniri poſſe autumo, quam ſi notionibus primo conſtitutis, quae *negativa* a Philoſophis appellantur, ad illa poſtmodum pedetentim audeamus ſtatuenda, quae *poſitiva* vulgo dicuntur, quaeque majorem in ſemetipſis difficultatem involvunt. Id enim rectae methodi & rationi conſonum eſſe liquet, & Clariſſimorum Virorum conſuetudine atque exemplo confirmatum. Quum nos itaque quod melius eſſe novimus eligere decreverimus, ab eo primum, quod *Mens humana* non ſit continuo expendere exordimur. Quare ſit

DEFINITIO I.

§. 1. *Mentem humanam* voco *principium illud activum*, *quo homo cogitat*, ſeu *quo* vc-

verum intelligit ; quo perinde bonum a ſe cognitum appetit ; quo denique ſuarum perceptionum, ac volitionum conſcius exiſtit.

DEFINITIO II.

§. 2. Principium illud, quo homo cogitat, ſeu quo verum intelligit, *intellectus*, ſeu *ratio* quandoque appellari conſuevit.

SCHOLION.

§. 3. Quum de mente humana, aut de cogitandi principio quum hic, tum alibi diſſerendum a nobis ſit, ab ea conſulto volumus temperare difficillima & obſcuriſſima Quaeſtione; utrum nimirum *mens* (ſeu intellectus, ſeu ratio) *ab anima humana tanquam diverſum aliquid ſpectari a Philoſophis debeat*. Quippe veteres nonnulli *Mentem* ab *Anima* realiter diſtinxiſſe viſi ſunt: Enimvero *Anima* docto Varroni definita eſt apud Lactantium (a) *Aer conceptus in ore, defervefactus in pulmone, fervefactus in corde, diffuſus in corpus*. Graviſſimi quoque ex recentioribus ipſam *Animam* a *Mente* ſejunctam prorſus adſtruere leguntur. Gaſſendus, Cudworthus, aliique a *ſubſtantia media* quadam ipſam repetunt;

 Car-

(a) De Opif. Cap. XVII.

Carteſiani a *ſpiritibus animalibus* derivatam volunt; Leibnitius, & Wolfius *a vi corpori inſita*; ut prætercam quæ *de anima ſenſitiva per totum diffuſa corpus* a vetuſtis Peripateticis ad noſtra uſque ferme tempora tradita fuere. Ut igitur ab inſuperabili quaquaverſum difficultate noſmetipſos expediamus, illud dicamus *Animam*, per quod homo cordis, pulmonum, arteriarum motibus donatur, ac vivit; illud vero *mentem humanam* ſeu cogitandi vim appellamus, per quod homo ipſe, ut ſcite admodum docet Tullius [a], *conſequentia cernit, principia & cauſas rerum videt, earumque progreſſiones, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus praeſentibus adjungit, atque adnectit futuras.*

COROLLARIUM.

§. 4. *Hujuſce mentis exiſtentia nihil nobis certius eſſe poteſt.* Nihil quippe nobis conſtat apertius, quam nos ideas ex intimo principio poſſe percipere, eas undequaque & ſub omni adſpectu verſare, cum aliiſque nos aeque poſſe conferre; Nihil denique

(a) Lib. I. de Offic. Cap. IV.

que luculentius apparet, quàm, multa ex cognitis incognita a nobis facile inferri. *Quid enim*, inquit S. Auguſtinus (a), *tam cognitionis adeſt, quam id, quod menti adeſt? Aut quid tam menti adeſt, quam ipſa mens?*

DEFINITIO III.

§. 5. Principium ipſum, quo homo cogitat; ſeu *mens*; ad ideas contemplandas debet neceſſario ferri. Neque enim *mens* ipſa intelligendi virtute donaretur, niſi actione ſua ideas verſare poſſe comperta fuiſſet.

SCHOLION.

§. 6. Tametſi a permultis non veteribus modo, verum etiam recentioribus Metaphyſicis *menti* in percipiendis ideis *paſſivae* tantum functiones fuerint attributae (quod tamen temperantiori Philoſophiae adverſari ſuo loco demonſtrabimus); attamen ſive humana mens hoc in negotio patiatur, ſive agat, ad eaſdem ſemper referri neceſſe eſt. Enimvero explorata res eſt, definitum quendam extare idearum numerum, quas homines, ſi velint aſſequi ani-

(a) Lib. X. de Trinit. n. 10. alias Cap. VII.

mo valent. Harum porro idearum non paucae immutabiles *per ſe* ſunt, quod nimirum veritati conſentaneae ſemper cognitae fuerint; quemadmodum univerſa illa cenſentur, quae in Ontologicis rebus tanquam totius humanae cognitionis principia primitiva traduntur; aliaque hiſce ſimilia: Aliae vero inter rationales viventes obtinent ideae, quae nec immutabiles ſunt, nec ſemper eodem numero recenſeri poſſunt; quod ſcilicet in ſingulis hominibus pleraeque numero & qualitatibus varietati obnoxiae deprehendantur, pro aetate, converſatione, moribus, ſtudiis, affectionibus variis &c. Quis namque dubitet in Graecia *ex. gr.*, aut in Italia pro variis temporibus, pro varia rerum publicarum fortuna, pro variis Philoſophorum ſectis, aliiſque cauſis non eaſdem ſemper viguiſſe opiniones? Itaque non eadem ratione cogitabant Graeci *Codri* tempore, ac *Xerſis* aliorumque Regum temporibus: Non eadem item ratione opinabantur Romani ſub *Numae* regno aut Decemvirorum aevo, quemadmodum ſub *Auguſti* Imperio cogitaſſe novimus: Non eodem demum modo

in tota Chriſtiana Europa *Caroli Magni* tempore, ac *Carolo V.* imperante. Quid? noſtro etiam hoc ſaeculo admirandae opinionum viciſſitudines contigerunt. Quae enim de Canonico jure permulta elapſis annis, in Italia praeſertim, tanquam indubitata a Theologis ejuſdemque juris peritis habebantur, eadem modo velut male olentia a pleriſque exſuflantur; ac nonniſi cum faſtidio excipiuntur. Quod de Republica Civili & Eccleſiaſtica, id magis etiam de Litteraria dictum volo. Habent enim ſua fata & Litterae, habent Diſciplinae & Artes. Aliae ſiquidem hoc ſaeculo, aliae alio vigent ac floreſcunt quotidie magis: Quaedam in Gallia potius; quaedam vero in Anglia habentur in pretio. Ac tum maxime id contingere experimur, quod earum fortuna, aut a publico ſuffragio & exiſtimatione, aut a concepta utilitate pendeat. Quum enim, ut acute expendit Tullius (a) *honos alit artes, omneſque incenduntur ad ſtudia gloriae, jacentque ea ſemper, quae apud quoſque improbantur; hinc fit, ut non eadem ſemper ratione Litterati*

(a) QQ. Tuſc. Quaeſt. I.

homines opinentur. Niſi longior videri vererer, per multa fidei faciendae maxime idonea expendi poſſent. Non abs re tamen fore confido, fuſius hac de re ſermonem, opportuniuſque eſſe rediturum. Sive ergo immutabiles ſint ideae, quas homines ſpectant, ſive ſecus; ad illas tamen perpetuo referre in cogitando ſe debent; de iis judicium ferre, atque ex iis ratiocinationes cudere neceſſe habent.

DEFINITIO IV.

§. 7. Principium illud, quo homo bonum a ſe cognitum appetit, *appetitus*, ſeu *deſiderium*, ſeu demum *voluntas* appellari a Philoſophis conſuevit; qua ipſe homo intimo conatu ad bonum comparandum impellitur.

DEFINITIO V.

§. 8. Principium illud, quo homo ſuarum perceptionum necnon volitionum conſcius eſt, *intima* dicitur a Metaphyſicis *Conſcientia*; qua nimirum ipſas mentis ſuae operationes ſupergreditur, ac ſe cogitare & velle pernoſcit.

HYPOTHESIS I.

§. 9. Citra dubitationis aleam eſſe arbitror, eſſentiam corporeae ſubſtantiae in eo eſſe poſitam, ut ſit *Ens natura ſua impenetrabiliter extenſum*; adeo nempe ut *extenſio ſolida*, ſeu *impenetrabilis*, ſit illud, quod primo nos movet atque determinat, ut quod hujuſcemodi deprehendimus, *corpoream* ipſum eſſe *ſubſtantiam*, ſeu *corpus*, ſive *materiam* cenſeamus. Hoc itaque pro certo in praeſens habeo. Neque enim profecto determinabitur unquam, mentem humanam non eſſe ſubſtantiam corpoream, niſi prius nobis certo conſtiterit, quid hujuſce ſubſtantiae nomine intelligendum ſit, & reipſa intelligatur. Arbitrariam porro non eſſe notionem hanc ſubſtantiae corporeae, teſtem experientiam ipſam appello, ne dicam illam *corporis* ideam, quae nobis quodammodo congenita eſt, atque ab ipſa origine veluti menti noſtrae inſculpta.

SCHOLION.

§. 10. Perinde eſt hoc loco, ſive *in entitativa extenſione*, ſive *in naturali impenetrabilitate* eſſentialis corporeae ſubſtantiae ratio ſtatuatur. Satis enim in praeſens eſt

habere pro re comperta, nullum eſſe *corpus*, quod *longitudine*, *latitudine*, & *altitudine* careat, quemadmodum S. Auguſtinus ſcite animadvertit (a; ſive quod ipſa ſua natura non ſit *impenetrabiliter extenſum*, nihilque eſſe hujuſcemodi quod non ſit corpus.

Corollarium I.

§. 11. Si ergo *Mens humana* ſit ad corpoream ſubſtantiam pertinens, neceſſe eſt, ut ſit natura ſua *impenetrabiliter extenſa* quoque, ac tribus dimenſionibus *longitudinis*, *latitudinis*, & *altitudinis* inſtructa.

Corollarium II.

§. 12. Quemadmodum ſubſtantia *entitativa extenſa in partes integrales diviſibilis eſt*, ita & mens humana in eaſdem diviſibilis erit, ſi corporea aſſeratur.

Corollarium III.

§. 13. Itaque illa ſubſtantia corporea haudquaquam eſt appellanda, quae natura ſua *impenetrabiliter extenſa* non eſt, ac proinde neque in integrales partes diviſibilis.

Co-

(a) Lib. *de quantitate animae* n. 23. alias Cap. XIV.

COROLLARIUM IV.

§. 14. Itaque mens humana materialis non erit ſubſtantia, ſi ei corporeae ſubſtantiae ratio minime conveniat.

HYPOTHESIS II.

§. 15. Pro certo perinde habeo, affectiones primitivas ſubſtantiae corporeae in *magnitudine*, *figura*, *motu*, *quiete*, & *ſitu* eſſe locandas. Nemini ſane dubitare licet, ſi ex ideis quas univerſi habent homines philoſophari velit, hujuſce hypotheſeos veritatem ex modo tradita corporeae ſubſtantiae notione, fore compertiſſimam. Enimvero corpori *impenetrabiliter extenſo* non aliud proxime & immediate convenit, niſi poſſe certa *magnitudine*, atque *figura* determinari & circumſcribi; *moveri* & *quieſcere*; ſimulque tales habere partes, quae diverſa ratione collocari queant inter ſe, & artificioſe componi.

COROLLARIUM I.

§. 16. Quemadmodum ergo illa ſubſtantia eſt corporea, cujus proprietates poſſunt per mechanicas affectiones explicari; ita ex adverſo illa ſubſtantia non eſt corporea, cujus proprietates atque operationes

per

per affectiones mechanicas; per *magnitudinem* ſcilicet, per *figuram*, *motum*, *quietem ac ſitum* corpuſculorum, oſtendi nullatenus poſſunt.

Corollarium II.

§. 17. Igitur mens humana, ejuſque vires & operationes inter corporea neutiquam haberi debent, ſi univerſa ad ipſam ſpectantia per mechanicas recenſitas affectiones nequeant explicari.

Hypotheſis III.

§. 18. Certum poſtremo mihi eſt, ſpiritalem eam eſſe ſubſtantiam, quae non ſit corporea. Ut enim praeclare docet S. Auguſtinus [a], *quidquid corpus non eſt, & tamen aliquid eſt, rectè jam ſpiritus dicitur*. Enimvero, niſi pro ſpiritali plane ea habeatur ſubſtantia, quae non eſt corporea, nullum habere locum poteſt, quae de humanae mentis ſpiritalitate inſtituitur diſceptatio. Indubium eſt enim, quaeri recte non poſſe; *num mens humana ſubſtantia ſit ſpiritalis*, niſi primo quid *ſpiritalis ſubſtantiae* nomine intelligendum ſit, in comperto locetur.

Scho-

(a) Lib. XII. ſupra *Geneſim* n. 16. alias Cap. VII.

SCHOLION.

§. 19. *Spiritalis ſubſtantiae* nomine pro eo a nobis rigide uſurpatur quod diverſi omnino generis eſt a corporea quapiam ſubſtantia, & quod illa praeſtantioris ita eſt naturae, ut nulla ratione corporis ſeu materiae ratio eſſentialis & affectiones paulo ante expoſitae accomodari queant. Quum vero *Spiritus* nomine ea etiam deſignari ſoleat corporea ſubſtantia, quae tenuis apprime eſt maximeque vivida; cui tamen univerſa, quae corporum ſunt, adamuſſim conveniant; nos idcirco hic hujuſmodi ſpiritalis ſubſtantiae minus aptam notionem rejicimus, ac quo ſenſu *Spiritum* accipiamus graviter monendum ducimus.

COROLLARIUM I.

§. 20. Ea ergo ſubſtantia *ſpiritalis* eſt, quae natura ſua, neque *impenetrabiliter extenſa* eſt, neque propterea in *integrales partes divisibilis*; neque iis item inſtructa proprietatibus, eaque ratione agens, ut proprietates ipſae, atque operationes per *magnitudinem*, *figuram*, *motum*, *quietem*, *ac ſitum* corpuſculorum oſtendi valeant, & explicari. Quae enim ſubſtantia ita ſe habet corporea nullatenus dici valet (§. 16.)

Corollarium II.

§. 21. Igitur mens humana *ſpiritalis* eſt ſi neque *impenetrabiliter extenſa* ſit, neque *in integrales partes diviſibilis*; Si neque praeterea illius proprietates atque operationes per corporum proprietates oſtendi valeant & explicari.

Corollarium III.

§. 22. Quoniam vero, quae ſibi mutuo contraria ſunt, oppoſitam inter ſe explicant indolem, oppoſitaſque proprietates & affectiones; omnis idcirco ſubſtantia *ſpiritalis* ejus eſt naturae, ut ſit *entitative inextenſa*, atque in *partes integrales* prorſus *indiviſibilis*. Hujuſcemodi quippe ſunt illius proprietates, atque operationes, ut per mechanicas corpuſculorum affectiones explicari nullatenus poſſint.

Corollarium IV.

§. 23. Igitur ſi mens humana, ut *ſpiritalis*, corpori oppoſitam undequaque explicet indolem, oppoſitiſque gaudeat proprietatibus & affectionibus, ipſa eſt proinde *entitative inextenſa*, atque in *partes integrales* prorſus *indiviſibilis*.

SCHOLION.

§. 24. Non uſque adeo tamen quae hactenus praemittenda cenſui ſufficere poſſe puto ad Propoſitiones aliquas ſanciendas, niſi Lemmata quoque nonnulla accurato aeque ſtudio conſtituenda curavero: Unde ſit

LEMMA I.

Si Mens humana aut corpus eſt, aut corporis proprietas & affectio, idearum perceptio, judicium, ratiocinatio, & volitio haud aliter contingere poſſunt quam corporearum particularum motionibus; actione nimirum & reactione fibrillarum, aut cujuſcumque alterius fluidi ad interiorem uſque caerebri ſubſtantiam commotione & impulſu.

§. 25. *Demonſtratio*: Etenim quod corpus eſt, aut corporis proprietas & affectio, explicandum eſt per ipſius corporis eſſentiam ejuſque proprietates: Corporis autem eſſentia in eo eſt poſita, ut ſit *Ens impenetrabiliter extenſum* (§. 9.) Quod eſt *impenetrabiliter extenſum in partes integrales diviſibile eſt* (§. 12.) eidemque primitivae conveniunt corporis affectiones; *magnitudo* nimirum, *figura*, *motus*, *quies*,

atque

atque *ſitus* (§. 15.) : Primitivae autem hujuſmodi corporis proprietates actioni, & reactioni fibrillarum, aut cujuſcumque alterius fluidi ad interiorem uſque cerebri ſubſtantiam commotioni conveniunt, ut per ſe liquet: Ergo ſi mens humana, aut corpus eſt, aut corporis proprietas & affectio, idearum perceptio &c.

S C H O L I O N.

§. 26. Non me latet, eſſe quoſdam, caeteroqui clariſſimos Philoſophos; *Newtonum* ſcilicet *Leibnitium* (a) *Lockium* (b) alioſque; qui autumant Corpus vi cogitandi a Deo potuiſſe exornari. Prae caeteris vero Thomas Hobbeſius (c) rem ſe putat ad evidentiam perduxiſſe, quum ipſe ſenſiones univerſas omneſque cogitationes ſola *actione* & *reactione* partium cerebri fieri in homine nititur demonſtrare. *Senſio igitur* (ſic ipſe concludit) *in ſentiente nihil aliud eſſe poteſt, praeter motum partium ali-*

quarum

(a) Legatur Examen *des Principes du R. P. Mallebranche*; in Miſcellaneis Leibnitii, Newtoni &c. Tom. II.

(b) Vide Acoſtam Loekii Interpretem *de Intellect. hum.* Lib. IV. Cap. III. ad §. 6.

(c) In Elem. Phil. Cap. XXV. art. 2. § 1.

quarum intus in ſentiente exiſtentium; quae partes motae, organorum, quibus ſentimus, partes ſunt: Nam partes corporis, per quas perficitur ſenſio, eae ipſae ſunt, quas vulgo organa ſenſoria appellamus..... Ex quo intelligitur, ſenſionis immediatam cauſam eſſe in eo, quod ſenſionis organum primum & tangit & premit. Si enim organi pars extima prematur, illa cedente, premetur quoque pars, quae verſus interiora illi proxima eſt; & ita propagabitur preſſio, ſive motus illa per partes organi uſque ad intimam: Quemadmodum & preſſio extima procedit ab aliqua preſſione corporis remotioris; & ſic perpetuo, donec veniatur ad id, a quo phantaſma ipſum, quod a ſenſatione fit, tanquam a primo fonte derivari judicamus... Quoniam autem motui ab objecto per media, ad organi partem intimam, propagato fit aliqua totius organi reſiſtentia; ſive reactio per motum ipſius organi internum naturalem; fit propterea conatui ab objecto conatus ab organo contrarius; ut quum conatus ille ad intima ultimus actus ſit eorum, qui fiunt in actu ſenſionis; tum demum ex reactione aliquandiu durante ipſum

exiſtit

quatur poſterior, propter cohaeſionem materiae motae, quemadmodum aqua ſuper tabulam planam & levem trahitur per viam, qua ducit digitus &c. Satis igitur apparere arbitror, quid de materia, Epicureorum & Democriticorum exemplo & diſciplina, ſentiant recentes memorati Philoſophi: Quamvis ut verum fatear, ideo illi ſubſtantiam corpoream atomorum conflictu, ſive actione & reactione cogitare poſſe docuerunt, quod materiae ſubtiliſſimae genus quoddam excogitaverint cum notis uſitatiſque elementis noſtris minime commune atque permixtum. Lucretius enim vir non omnino ſtupidus quartam quandam invexit corpoream ſubſtantiam, e qua omnis ſenſatio & cogitatio penderet atque efficeretur, quam innominatam eſſe voluit (a).

Nec tamen haec ſat ſunt ad ſenſum cuncta creandum;
Nihil horum quoniam recipit mens poſſe creare
Senſiferos motus, quaedam qui mente volutent.

Q Quarta

(a) *De rerum Natura* Lib. III. verſ. 239.

Quarta quoque his igitur quaedam natura neceſſe eſt
Attribuatur (ea eſt omnino nominis expers):
Qua neque mobilius quidquam, neque tenujus exſtat,
Nec magis e parvis aut levibus ex elementis,
Senſiferos motus, quae didit prima per artus.

Ipſe etiam Ariſtoteles (qui, ut teſtatur Cicero [a] a Lucretii ſententia non admodum diſtaſſe viſus eſt) longe omnibus praeſtans & ingenio & diligentia, quum quatuor nota illa genera principiorum eſſet complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam exiſtere cenſuit, e qua mens & cogitatio fiat. Cogitare enim & providere & diſcere, & docere, & invenire aliquid, & tam multa alia meminiſſe, amare, odiſſe, cupere, timere, angi, laetari; haec & ſimilia eorum, in horum quatuor generum nullo ineſſe putavit. Quare quintum excogitavit genus nomine vacans, & ſic ipſum animum *Entelechiam* novo appellavit nomine; quaſi quandam con-

(a) QQ. Tuſc. Lib. I. Cap. XI.

continuatam motionem atque perennem. Contra vero recentes noſtri adeo materiam contendunt extollere, ut non ipſam tantum cogitandi vi praeditam nitantur adſtruere, verum etiam ejus materiae mechaniſmo cogitationem quamlibet conflari ſtatuant, qui ab actione & reactione fibrillarum, aut a cujuſcumque alterius fluidi ad interiorem uſque cerebri ſubſtantiam commotione & impulſu nullatenus diſcrepet.

LEMMA II.

Si cogitatio in actione & reactione fibrillarum, aut cujuſcumque fluidi ad interiorem uſque cerebri ſubſtantiam commotione & impulſu locanda ſit, neceſſe eſt ut tot ſint in cerebro diſtinctae commotiones, quot diverſae, & diſtinctae ideae nobis obverſantur.

§. 27. *Demonſtratio:* Si cogitatio in actione & reactione fibrillarum &c. locari debeat, in primitivis corporis proprietatibus & affectionibus aeque eſt conſtituenda: Primitivae autem corporis proprietates ſunt *magnitudo*, *figura*, *motus*, *quies*, & *particularum ſitus* (§. 15.): Hujuſmodi proprietates rei *impenetrabiliter extenſae* con-

veniunt (§. 12.) Rei *impenetrabiliter extenſae* diviſio in *partes integrales* tribuenda eſt (§. 12.) Ergo ſi cogitatio in actione & reactione &c. ea ipſa dividenda eſt in tot commotiones in cerebro, quot diverſae & diſtinctae ideae nobis obverſantur.

COROLLARIUM I.

§. 28. Igitur, ſi in humana mente idearum perceptio, judicium, ratiocinatio & volitio haud aliter contingere poſſent, quam corporearum particularum motionibus; actione nimirum & reactione fibrillarum &c.; *ipſa humana mens Ens eſſentialiter compoſitum eſſet dicenda*. (Part. I. §. 294.) Conſurgeret enim ex pluribus actionibus ac reactionibus reipſa diſtinctis inter ſe, & a ſe mutuo ſeparabilibus.

COROLLARIUM II.

§. 29. Si mens humana, ſive cogitatio, corporis proprietatibus donaretur, *nihil eſſet omnino diverſum ab ea tenuiſſima maximeque mobili ac vivida ſubſtantia, quae ex puriori ſanguine in cerebro elaboratur*. Etenim ſi mens humana aut corpus, aut corporis eſt proprietas, idearum perceptio &c. haud aliter contingere poſſunt,

quam

quam corporearum particularum motionibus. (§. 25.)

SCHOLION.

§. 30. Duo a Materialiſtis poſſunt hic nobis opponi. I. Scilicet, idearum perceptiones haudquaquam diverſis diſtinctiſque motionibus fieri, ſed variis tantum conatibus: II. Eos conatus haud eſſe quidem ſimultaneos, ſed ſucceſſivos; tanta tamen cum celeritate factos, ut ſimultanei videantur; quemadmodum iis, qui ignis, luminis, ſeu etiam materiae electricae celeritatem non ignorant, incredibile neutiquam videri debet. At utrumque prorſus ineptum; & paralogiſmo ſimillimum.

I. Conatus ad motum reactio eſt: Quaecunque autem reactio corporea eſt; quae in ſpatio ſemper, quantumvis exiguo fieri poſtulat: Si corporea eſt, *impenetrabiliter* quoque extenſa dici debet (§. 9.): Quae extenſa eſt, in partes integrales diviſibilis eſt (§. 12.) Ergo diverſis diſtinctiſque motionibus cogitatio conſtabit.

II. Motus quantumvis maxima celeritate donetur, nequit tamen in inſtanti indiviſibili compleri: Id enim modo tan-

quam indubitatum adſtruo, in quo omnes Phyſici conſentiunt: Ergo quum conatus fibrillarum exeruntur, quibus ideae excitantur in mente, totidem ipſi, diſtinctiſque motionibus, nec non ſucceſſivis temporis partibus fieri debent. Quae ſucceſſivis temporis partibus fiunt in extenſione aliqua ſita ſunt: Quae in extenſione locantur in partes integrales diviſibilia ſunt (§. 12.) Ergo &c.

PROPOSITIO I.

Mens humana non eſt ſubſtantia in partes integrales reipſa diviſibilis.

§. 31. *Demonſtratio:* Vel enim quaelibet illarum partium integralium, in quas ponitur humana mens reipſa poſſe ſecari, ſeorſim ab aliis ſumta, vi cogitandi praedita eſt; vel hac vi penitus eſt deſtituta: Atqui Neutrum dici poteſt: Ergo Mens humana &c.

Probat. min. Nequit dici primum. Nam ſi quaelibet illarum partium, ſeorſim ſumta ab aliis, poſſet cogitare, quaelibet eſſet tota mens ſeu tota cogitatio; ac proinde earum una duntaxat in nobis exiſteret (niſi forte plura cogitandi principia ſimul in uno homi-

homine exſtare velimus). Porro niſi cogitans illa particula conſtituatur integralibus carere partibus, inſtauratur iterum argumentum, ut patet, atque ita in infinitum: Ergo &c. Alterum quoque dici nequit: ſi namque nulla illarum partium, diviſione poſita, vi cogitandi pollet, tota quoque ſubſtantia ex illis conflata, eadem ipſa vi penitus careat, neceſſe eſt; quum ex inertibus, experientia teſte, fieri nequeat totum integrale vi activa donatum: Ergo &c.

Demonſtrat. II. Ideo a Materialiſtis mens humana in cogitando in plures partes integrales dividi poſſe dicitur, quod quaelibet vi cogitandi pollere non quidem adaequata & totali, ſed partiali & inadaequata affirmatur; ſive quod ex pluribus particulis hiſce inadaequatis, adaequatum completumque cogitationis principium conſtituitur: Atqui ratio hujuſmodi futilis eſt omnino: Ergo mens humana &c.

Prob. min. Quum quod ex pluribus inadaequatis conſtituitur cogitationis principium, indiviſibile eſſe nequeat, indiviſibilem proinde cogitationem nequit efficere:

Vel ergo quaelibet illarum partialium perceptionum cogitationem efficit, vel non: Si primum; ergo fruſtraneae ſunt reliquae: Sin alterum; ergo neque omnes ſimul ſumtae eandem efficere nobiſque repreſentare valebunt. Mente quippe complecti impoſſibile eſt prorſus, quomodo, ſi nulla partialium earum perceptionum cogitationem efficiat, eam omnes ſimul ſumtae exprimere valeant, mentique cogitanti exhibere. Ergo &c.

Corollarium I.

§. 32. *Ergo mens humana ſubſtantia ſimplex eſt*. Enimvero, quum haec in partes integrales reſolvi nequeat, partibus integralibus ipſis caret. Ergo ex iis haudquaquam componitur: Ergo ſimplex dicenda eſt. Omne namque exiſtens vel eſſentialiter ſimplex eſt, vel compoſitum (Part. I. §. 300.)

Corollarium II.

§. 33. *Ergo mens humana non eſt ſubſtantia entitative extenſa*. Oritur enim extenſum ex unione plurium, quorum unum extra aliud, quoad totam ſuam entitatem, exiſtit. Conſtat autem, mentem humanam non eſſe ſubſtantiam, quae poſſit reipſa

in

in plures integrales partes ſecari (§. 31.) Ergo &c.

COROLLARIUM III.

§. 34. *Ergo mens humana nullam habet, nec habere poteſt ſeu magnitudinem ſeu figuram*. Illud enim duntaxat capax magnitudinis & configurationis eſt, quod ſecundum plures dimenſiones eſt *entitative* extenſum.

COROLLARIUM IV.

§. 35. *Ergo mens humana nequit aut moveri de loco in locum, aut ipſa quieſcere dum eſt in motu*. Hujuſmodi enim proprietates, aliaeque id genus, nonniſi corpori extenſo proxime & immediate conveniunt. (§. 15.)

COROLLARIUM V.

§. 36. Igitur, quemadmodum illa ſubſtantia eſt corporea, cujus proprietates poſſunt per mechanicas leges explicari (§. 16.); ita *mens humana ejuſque vires & operationes inter corporea neutiquam haberi debent*, ſi univerſa ad ipſam ſpectantia per mechanicas affectiones nequeant explicari (§. 17.)

Co-

Corollarium VI.

§. 37. Igitur *repugnat prorſus*, *ut idearum perceptio judicium*, *ratiocinatio & volitio actione & reactione fibrillarum*, *aut cujuſcumque alterius fluidi ad interiorem uſque cerebri ſubſtantiam commotione & impulſu contingant*. Id enim totum fieret ſi mens humana corpus eſſet (§. 25.): Ipſa autem ejuſque vires & operationes inter corporea neutiquam haberi debent (§. 36.)

Corollarium VII.

§. 38. Igitur *repugnat plane*, *ut tot ſint in cerebro diſtinctae motiones*, *quot diverſae & diſtinctae ideae nobis obverſantur*. Si namque ita contingeret, cogitationi diviſio in partes integrales eſſet tribuenda (§. 12.); quod mentis humanae ſimplicitati repugnat (§. 32.)

Scholion.

§. 39. Haud equidem diffiteri volo, in omnibus, quae in ſuis functionibus obeundis mens humana peragit, ſenſationum & ſpirituum animalium ope & concurſu; ſive etiam memoriae & phantaſiae mechaniſmo, perpetuo indigere: Uno effato fibrillarum actione, ac tenuiſſimae illius maximaeque vivi-

vividae ſubſtantiae, quae ex puriori ſanguine in cerebro elaboratur, celeritate opus habet. Mens enim ipſa, adeo in ſuis operationibus a corpore ejuſque ſolidis & fluidis pendet, ut perquam difficile ſit decernere, eandem operari aliquando poſſe, quin eorum ſubſidium mutuetur. Contendo tamen idearum perceptionem, judicium, ratiocinationem, caeteraſque mentis functiones a certo corpuſculorum motu, ſive ab actione & reactione fibrillarum aliquid eſſe diſtinctum. Quod profecto ex facta demonſtratione adeo indubitatum atque liquidum apparet, ut nec Hobbeſius ipſe, ſui fortaſſe immemor ſyſtematis, rei perſpicuitate, ut par eſt credere, impulſus luculentis idipſum verbis fateri non dubitaverit. *Quis igitur*, inquit, *ſibi perſuadeat*, *motione externorum objectorum*, *non tantum motum*, *ſed & perceptiones produci* (a) ? Praeclare idcirco Tullius, *animarum*, inquit, *nulla in terris origo inveniri poteſt. Nihil enim eſt in animis mixtum atque concretum*, *aut quod ex terra natum atque fixum eſſe videatur* (b). Quare ſit

(a) In Leviath. Cap. III.
(b) QQ. Tuſcul. Lib. I. Cap. XXVII.

PROPOSITIO II.

Mentis humanae perceptio, judicium, ratiocinatio, volitio, & intima conſcientia aliquid ſunt omnino diverſum ab ea tenuiſſima, maximeque mobili ac vividâ ſubſtantia, quae ex puriori ſanguine in cerebro elaboratur.

§. 40. *Demonſtratio I. Soritica methodo:* Quum enim omnis actio illius vividae actuoſaeque ſubſtantiae, quae ex puriori ſanguine elaborari in cerebro dicitur, nihil ſit a certo corpuſculorum motu diverſum, nequeunt humana mens ejuſque operationes in illa vivida actuoſaque ſubſtantia *formaliter* collocari, quin ipſae itidem in certa corpuſculorum motione, quae in cerebro fiant, formaliter ſtatuantur: Quae in certa corpuſculorum motione ſita ſunt ex pluribus componuntur (§. 28.) Quae ex pluribus componuntur primitivas corporis proprietates & affectiones habent (§. 27.) Corporis proprietates rei *impenetrabiliter* extenſae conveniunt (§. 12.): Rei *impenetrabiliter* extenſae diviſio in partes integrales tribuenda eſt (§. 12.) Atqui mens humana non eſt in *partes integrales* diviſi-

bilis

bilis (§. 31.) Ergo mentis humanae perceptio, judicium, ratiocinatio, volitio & intima conſcientia &c.

Demonſtratio II. Si mentis humanae perceptio, judicium &c. aliquid non eſſent omnino diverſum ab ea tenuiſſima maximeque mobili ac vivida ſubſtantia, quae ex puriori ſanguine in cerebro elaboratur, ipſae humanae mentis functiones in actione & reactione fibrillarum eſſent locandae: Atqui hoc repugnare dictum fuit (§. 37.) Ergo &c.

Probat. major: Si nihil eſſent omnino diverſum ab ea tenuiſſima &c. explicandae eſſent per corporis affectiones; eo quia ſubſtantia illa, tametſi tenuiſſima, a corporea ſubſtantia nullo pacto differt: Atqui hoc nullatenus dici fas eſt, niſi idearum perceptio judicium, ratiocinatio, & volitio in actione & reactione fibrillarum, aut cujuſcunque alterius fluidi ad interiorem uſque cerebri ſubſtantiam commotione & impulſu conſtituantur (§. 25.) Ergo ſi mentis humanae perceptio &c.

Co-

Corollarium.

§. 41. *Ergo humana mens neque eſt ſubtilior aeris, aut ignis, vel alterius vividae actuoſaeque ſubſtantiae portio in humani corporis penetralibus reſidens; neque elementorum mixtio & harmonia, neque demum aliud quidquam ex iis ſubſtantiis ſive naturis elaboratum, quae in hoc mundo adſpectabili nobis innoteſcunt.* In horum enim nullo conſtitui poteſt mens, quin fateri cogamur, cogitationem nihil eſſe a certo corpuſculorum motu diverſum; actione nimirum & reactione fibrillarum totum conſtans. *His enim in naturis* (ſcite Tullius affirmat) *nihil ineſt, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod & praeterita teneat, & futura praevideat, & complecti poſſit praeſentia* (a)

Scholion.

Quemadmodum nonnullos ſuperius a nobis dictum eſt (§. 26.) extitiſſe olim, & nunc etiam exſtare Philoſophos, qui corpori ſeu materiae cogitandi vim tribuere non dubitant; ita inter veteres omnium primum Dicaearchum fuiſſe non eſt praetermittendum

(a) QQ. Tuſc. Lib. I. Cap. XXVII.

dum enarrare, qui ut animum prorſus de medio tolleret, ex quadam naturae corporeae temperatione, qua vigeamus atque ſentiamus, totum conſtare affirmavit. Ipſe nimirum, ut non immerito opinor, hujuſmodi temperatione nihil aliud docuiſſe videtur, quod a tenuiſſima maximeque mobili ac vivida ſubſtantia ſanguinis, aeris, ignis vel alterius vividae actuoſaeque portionis diverſum eſſet. Doctus iſte atque facundus Philoſophus tantum in Ariſtotelica diſciplina profecit, ut non Praeceptorem tantum hac in re ſuperaſſe viſus ſit, verum etiam tantopere Ciceroni ipſi placuerit, ut hic caeteroqui doctiſſimus atque graviſſimus eum delicias ſuas appellare non abſtinuerit. *Deliciae meae*, inquit, *Dicaearchus* (a). Hiſtoriam ipſe Tullius eleganter more ſuo perſequitur. *Is in* eo *ſermone* (verba ejuſdem ſunt Tullii); *quem Corinthi habitum tribus libris exponit doctorum hominum diſputantium; primo libro multos loquentes facit; duobus Pherecratem quendam Phtiotam ſenem.... differentem inducit, nihil eſſe omnino animum, & hoc eſſe* no-

(a) QQ. Tuſc. Lib. I. Cap. XXII.

nomen totum inane, fruſtraque animalia & animantes appellari; neque in homine ineſſe animum, vel animam, nec in beſtia; vimque omnem eam, qua vel agamus quid & ſentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter eſſe fuſam, nec ſeparabilem a corpore eſſe; quippe quae nulla ſit, nec ſit quidquam, niſi corpus unum & ſimplex; ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat & ſentiat (a). Hujuſce tamen ſententiae infirma & elumbis plane vis ſatis adeo detecta videtur ex confectis demonſtrationibus, ut nihil reliquum dicendum adhuc ſupereſſe putem.

SECTIO II.

Quid ſit mens humana.

Reliqua profecto ſupereſſent adhuc enucleanda quamplurima, ut quid mens humana non ſit, luculentiſſime conſtaret; ſi ad uberius Tractationis Volumen animum vellemus convertere. Attamen, neceſſariae brevitatis habita ſemper prae oculis ratione, quantum ſatis erat me dixiſſe exi-

(a) Ibidem.

exiſtimo. Quapropter tempus eſt, ut quid mens ſit, viribus rei gravitati licet imparibus, demonſtrare pergamus. Quum mens itaque corpus non ſit; *ſingularis eſt igitur* (ita Tullii verbis exordiar) *quaedam natura atque vis animi, ſejuncta ab his uſitatis notiſque naturis. Ita quidquid eſt illud, quod ſentit, quod ſapit, quod vult, quod viget, caeleſte & divinum eſt* (a). Antequam vero, quid hoc tandem ſit, firmiſſimis demonſtrationibus ſtatuamus, opportunum arbitror Poſtulata duo ſancire, quorum ſit

POSTULATUM I.

§. 43. *Modus, quo agit mens humana ab eo penitus differt, quo corporea ſubſtantia, vel patitur, vel operatur.* Enimvero ſubſtantia corporea paſſive indifferens adeo eſt ex ſuo genere ad motum & ad quietem, ut, ſecluſo extrinſeco determinante aut movente, neque moveri queat, ſeu ſe determinare ad motum, dum eſt in quiete; neque, dum movetur, a motu ceſſare valeat, in eodemque loco conſiſtere. At humana mens ita ſeipſam ad cogitandum determi-

(a) QQ. Tuſcul. Lib. I. Cap. XXVII.

nat, ut extrinſeco agenti minime ſubjici intima conſcientia intelligat. *Sentit animus*, inquit Tullius (a) *ſe moveri; quod quum ſentit, illud una ſentit, ſe ſua vi, non aliena moveri;* utque habet Lactantius (b), *animus ſua ſponte & cogitat, & movetur*. Praeterea corporeae ſubſtantiae virtus motiva continuo languefcit, ac demum prorſus extinguitur: Contra vero intellectiva humanae mentis facultas tantum abeſt, ut exercitio minuatur, quin potius creſcat quodammodo, validiorque in dies efficiatur. *Potentiae animae, atque virtutes*, inquit Vir Clariſs. (c), *longa exercitatione, & ſucceſſu temporum creſcunt;* unde teſte Tullio (d), *mens, ratio, & conſilium in ſenibus eſt*. Accedit deinde, quamlibet corpoream potentiam, ut experientia vel evidentiſſime conſtat, plerumque a ſuo objecto ledi; quinimo, ſi nimis vehemens illud fuerit, penitus etiam extingui; viſus namque *ex. gr.* puriſſimam ſolis lucem ſuſtinere nequit. At mens perfectius verita-

tem

(a) Lib. I. QQ. Tuſcul. Cap. XXIV.
(b) Lib. *De Opif. Dei* Cap. XVI.
(c) Auctor. Lib *De Spiritu & Anima* Cap. XXX.
(d) Lib. *De Senectute* Cap. XIX.

tem aſpicit, quo fuerit clarior; in eaque contemplanda, quae ſumma eſt, nullam vel minimam laeſionem patitur, quinimo delectatur quammaxime, & beata efficitur. *Quemadmodum illi*, inquit S. Auguſtinus, *qui in luce ſolis eligunt quod libenter aſpiciant, & eo adſpectu laetificantur, in quibus, ſi qui forte fuerint vegetioribus, ſaniſque & fortiſſimis oculis praediti, nihil libentius, quam ipſum ſolem contuentur; qui etiam caetera, quibus etiam infirmiores oculi delectantur, illuſtrat: Sic fortis acies mentis & vegeta, quum multa vera & incommutabilia certa ratione conſpexerit, dirigit ſe in ipſam veritatem, qua cuncta monſtrantur, eique inhaerens, tanquam obliviſcitur caetera, & in illa ſimul omnibus fruitur. Quidquid enim jucundum eſt in caeteris veris, ipſa utique veritate jucundum eſt* (a) Quod vero attentius animum inter & corpus diſcrimen animadvertendum eſt in eo verſatur; quod nimirum, quae corpori inhaerent vires, quaeque ab illo potentiae dependent & vim hauriunt, nonni-

(a) Lib. II. *De libero arbitrio* num. 36. alias Cap. XIII.

ſi circa ea, quae ſibi praeſentia ſunt, certiſque locis circumſcripta & definita temporibus eſſe valeant; adeo nempe, ut neque futura potentias ipſas vel leviter moveant, neque praeterita afficiant. Contra vero humanus animus praeterita aeque prorſus ac ea, quae coram exiſtunt, ſcrutatur, atque contemplatur; neque ipſam latent omnimode futura. *Diffuſis cogitationibus atque conſiliis* (teſtatur Vir Doctiſſimus (a),) *huc atque illuc vagatur mens. Conſiderat & ſpectat omnia. Videt abſentia, transmarina viſu ambit, & percurrit adſpectu, abdita ſcrutatur, & uno momento ſenſus ſuos per totius orbis fines & mundi ſecreta circumfert. Deſcendit ad inferna, aſcendit inde, verſatur in coelo, adhaeret Chriſto, conjungitur Deo.* Verum multo ante ſcripſerat Tullius, atque elegantiſſime more ſuo inter homines & bruta diſcrimen expoſuerat, ut inde quantum humanus animus praeſtet omnibus manifeſto conſtaret: *Inter hominem*, inquit, *& belluam hoc maxime intereſt, quod haec tantum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque prae-*

(a) Auctor Lib. *de Spiritu & Anima* Cap. II.

praeſens eſt, ſe accomodat, paulum admodum ſentiens praeteritum, aut futurum. Homo autem, quoniam rationis eſt particeps, conſequentia cernit, principia & cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus praeſentibus adjungit atque adnectit futuras; facile totius vitae curſum videt, ad eumque regendum praeparat res neceſſarias (a). Quid vero de admiranda plane mentis humanae in cogitando celeritate dicam? Quae profecto tanta eſt, quanta in corporeis potentiis haberi nullatenus poteſt. *Nulla eſt celeritas*, teſte eodem Tullio (b), *quae poſſit cum animi celeritate contendere:* Et jure quidem. Fertur enim mens cogitatione ſua de loco in locum, quin interjectum ſpatium eadem ipſa cogitatione perluſtrare cogatur; nihilque eſt, quod vim illam mentis, ne dum impedire, ſed ne retardare quidem poſſit. *An poteſt aliquis non admirari*, inquit Lactantius (c), *quod ſenſus ille vivus atque caele-*

(a) Lib. I. *de Offic.* Cap. IV.
(b) QQ. Tuſcul. Lib. I. Cap. XIX.
(c) Lib. *de Opific. Dei* Cap. XVI.

caeleſtis, qui mens, vel animus nuncupatur, tantae mobilitatis eſt, ut ne tunc quidem, quum ſopitus eſt conquieſcat; tantae celeritatis, ut uno temporis puncto caelum omne colluſtret; & ſi velit maria pervolat, terras ac urbes peragret; omnia denique, quae libuerit, quamvis longe lateque ſummota ſint, in conſpectu ſibi ipſe conſtituat? At multo amplius elucet poſtremo mentis humanae praeſtantia; quod nulla potentia corporea ita operetur, ut ſimul ea ipſa ſit ſui ipſius, ſuarumque operationum conſcia. *Quum colorem ſentimus*, inquit S. Auguſtinus, *non itidem ſenſu ipſo nos ſentire etiam ſentimus; neque quum audimus ſonum, noſtrum etiam audimus auditum; neque quum olfacimus roſam, olet nobis aliquid & ipſe olfactus; neque quidquam guſtantibus ſapit in ore ipſe guſtus; nec tangentes aliquid, ipſum etiam tangendi ſenſum poſſumus tangere;* Quare ipſe argute admodum concludit, & tanquam ſummopere perſpicuum ducit, *quinque iſtos ſenſus* nullo eorum ſenſu poſſe ſentiri, quamvis eis corporalia quaeque ſentiantur (a). At vero mens

(a) *De libero arbitrio* Lib. II. n. 36. *alias* Cap. XIII.

mens noſtra, inquit ſaepe a nobis commemoratus Clar. Auctor (a), *quadam interiori, non ſimulata, ſed vera praeſentia, videt ſe in ſe. Nam cognoſcit ſe vivere, ſe meminiſſe, ſe intelligere, ſe velle, cogitare, ſcire, judicare. Memini me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem* (teſtatur laudatus paulo ante S. Auguſtinus (b),) *& intelligo me intelligere, & velle, atque meminiſſe, & volo me velle, & meminiſſe, & intelligere, totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem ſimul memini. Quod enim memoriae meae non memini, non eſt in memoria mea. Nihil autem tam in memoria, quam ipſa memoria, eſt. Totam igitur memini. Item quidquid intelligo, intelligere me ſcio, & ſcio me velle quidquid volo. Quidquid autem ſcio, memini. Totam igitur intelligentiam, totamque voluntatem meam memini.* Si tantum itaque mens in operandi modo differt a corporea quavis potentia, ut nihil prorſus cum illa commune habeat, conſequitur

(a) Libri *de Spiritu & Anima* Cap. XXXII.
(b) *De Trinitat.* Lib. X. n. 18. *alias* Cap. XI.

Corollarium I.

§. 44. Quae tam ſibi mutuo in operando contraria ſunt, debent ad invicem quoque in natura adverſari. Omnis namque operandi inter plura diverſitas, a naturae diverſitate tota eſt repetenda.

Corollarium II.

§. 45. Igitur mens humana non diffet ſolum a natura quavis corporea, verum etiam ipſa praeſtantioris naturae eſſe dicenda eſt. Quaecumque enim efficit mens (§. 43.) ita ſunt praecellentiora, ut ad ea perficienda corporea potentia quaevis attingere nullatenus queat.

Corolarium III.

§. 46. Igitur quidquid efficit mens humana per immechanicas affectiones explicari debet. Quemadmodum enim ſubſtantia illa eſt corporea, cujus proprietates per mechanicas affectiones explicari poſſunt (§. 16.) ita ex adverſo mentis humanae proprietates per affectiones immechanicas debent explicari.

Postulatum II.

§. 47. *Quum ſenſationum, Reminiſcentiae & Phantaſiae viribus homo fuerit a natu-*

natura donatus, *ita illius ingenio & admirandae plane ſolertiae artium diſciplinarumque omnium inventio eſt tribuenda*, *ut rei ſive ſubſtantiae corporeae nullatenus competere atque adjudicari valeat*. Quantum in hominis animam quum ſenſationes, tum Reminiſcentia nec non Phantaſia valeant, opportunius agemus. Interim vero tanquam indubitatum teneamus, nonniſi earum viribus atque praeſidio artes atque diſciplinas ab homine potuiſſe excogitari & inveniri. *Hominem natura*, inquit Tullius, *non ſolum celeritate mentis ornavit*, *ſed etiam ſenſus*, *tanquam ſatellites*, *attribuit*, *ac nuntios ; & rerum plurimarum obſcuras*, *& neceſſarias intelligentias enudavit*, *quaſi fundamenta quaedam ſcientiae ; figuramque corporis habilem & aptam ingenio humano dedit* (a). Caeterum ſtupenda prorſus apparet humanarum inventionum varietas : Nam *praeter artes* (verba ſunt S. Auguſtini) *bene vivendi & ad immortalem perveniendi felicitatem*, *quae virtutes vocantur*, *& ſola Dei gratia*, *quae in Chriſto eſt filiis promiſſionis regnique donantur*, *nonne humano*

(a) Lib. I. *De legibus* Cap. IX.

mano ingenio tot tantaeque artes ſunt inventae & exercitae, partim neceſſariae, partim voluntariae, ut tam excellens vis mentis, atque rationis in his etiam rebus, quas ſuperfluas, imo & periculoſas pernicioſaſque apperit, quantum bonum habeat in natura, unde iſta potuit vel invenire, vel diſcere, vel exercere, teſtetur? Veſtimentorum, & aedificiorum ad opera quam mirabilia, quam ſtupenda, induſtria humana pervenerit; quo in agricultura, quo in navigatione profecerit; quae in fabricatione quorumque vaſorum, vel etiam ſtatuarum, & picturarum varietate excogitaverit, & impleverit; quae in theatris mirabilia ſpectantibus, audientibus incredibilia facienda, & exibenda molita ſit: in capiendis, occidendis, domandis irrationabilibus animantibus, quae & quanta repererit: adverſus ipſos homines tot genera venenorum, tot armorum, tot machinamentorum; & pro ſalute mortali tuenda, atque reparanda quot medicamenta, atque adjumenta comprehenderit; pro voluptate faucium, quot condimenta, & gulae irritamenta repererit; ad indicandas, & ſuadendas cogitationes quam multitudinem varietatemque

que ſignorum, ubi precipuum locum verba, & litterae tenent; ad delectandos animos, quos eloquutionis ornatus, quam diverſorum carminum copiam ad mulcendas aures, quot organa muſica, quos cantilenae modos excogitaverit; quantam peritiam dimenſionum atque numerorum, meatuſque & ordines ſiderum quanta ſagacitate comprehenderit; quam multa rerum mundanarum cognitione ſe impleverit, quis poſſit eloqui; maxime ſi velimus non acervatim cuncta congerere, ſed in ſingulis immorari? In ipſis poſtremo erroribus, & falſitatibus defendendis, quam magna claruerint ingenia Philoſophorum, atque Haereticorum, quis eſtimare ſufficiat? Loquimur enim nunc de natura mentis humanae, qua iſta vita mortalis ornatur, non de fide, atque itinere veritatis, qua illa immortalis acquiritur (a).

COROLLARIUM.

§. 48. Si ergo Artium diſciplinarumque inventio rei, ſive ſubſtantiae corporeae nullatenus competere valet, ea certe ſubſtantiae ſpiritali adjudicanda eſt. Certa namque res eſt, ſpiritalem eſſe illam ſubſtantiam, quae corporea non ſit (§. 18.).

(a) Lib. XXII. *De Civit. Dei* Cap. XXIV. n. 3.

Propositio III.

Mens humana ſubſtantia ſpiritalis eſt.

§. 49. *Demonſtratio. Soritica methodo:* Mens humana vi ſua cogitat, ſeu verum intelligit (§. 1. §. 2.): Mens quae cogitat ad ideas contemplandas neceſſario ferri debet (§. 5.): Quae ad ideas contemplandas fertur, bonum a ſe cognitum appetit (§. 7.): Quae verum intelligit ac bonum cognitum appetit, ſuarum quoque perceptionum nec non volitionum intime conſcia eſt (§. 8.): Quae intime ſui conſcia eſt, ſubſtantia corporea haudquaquam eſt appellanda, ſi natura ſua *impenetrabiliter* extenſa non ſit, neque in integrales partes diviſibilis (§. 13.): Quae natura ſua *impenetrabiliter* extenſa non eſt, nec corporea eſt, nec mechanicis gaudet affectionibus (§. 14. §. 16.): Quae corporea non eſt, ſpiritalis eſſe debet (§. 18.): Quae ſpiritalis eſſe debet ſubſtantia, *entitative* quoque inextenſa eſſe debet, atque in partes integrales prorſus indiviſibilis (§. 22. §. 23.). Ergo ſimplex eſſe debet (§. 32.), Quae ſimplex eſt nullam habet, nec habere poteſt: ſeu magnitudinem, ſeu figuram (§. 34.): Quae ſic ſe habet ne-

nequit, aut moveri de loco in locum, aut ipſa quieſcere dum eſt in motu (§. 35.): Quae ſic ſe habet mens, aut ſimplex ſubſtantia, nequit in ſuis obeundis functionibus totum actione & reactione fibrillarum aut alterius cujuſcumque fluidi, ad interiorem uſque cerebri ſubſtantiam, commotione & impulſu aſſequi (§. 37.): Quae ita in ſuis exſerendis functionibus agere natura ſua prohibetur, adverſatur quominus totidem ſint diſtinctae in cerebro motiones, quot diverſae ac diſtinctae ideae obverſantur eidem menti (§. 38.): Quae ita natura ſua repugnat, poſtulat tamen, ut idearum ſuarum perceptio, judicium, ratiocinatio, volitio &c. ſint aliquid omnino diverſum ab ea tenuiſſima, maximeque mobili ac vivida ſubſtantia, quae ex puriori ſanguine in cerebro elaboratur (§. 40.): Quae natura ſua tam diverſa poſtulat, oſtendit itidem modum agendi proprium ab eo penitus differre, quo corporea ſubſtantia vel patitur, vel operatur (§. 43.): Quae ita a corporea ſubſtantia in agendi ratione omnino differt, eidem quoque in natura contraria eſt plane (§.

44.):

44): Quae ſubſtantiae corporeae in natura contraria eſt, non ab ea ſolum differre, verum etiam praeſtantioris ipſa eſſe naturae dicenda eſt (§. 45.): Quae ita praeſtantioris eſſe naturae dicenda eſt poſtulat, ut proprius agendi modus per immechanicas affectiones explicetur (§. 46.): Quae per immechanicas affectiones agendi ratio explicatur, artium diſciplinarumque omnium inventionem ſpectat, quae rei ſive ſubſtantiae corporeae nullatenus competere & adjudicari valet (§. 47.): Quae demum artium diſciplinarumque inventio rei, ſive ſubſtantiae corporeae competere nequit, ea certe ſubſtantiae ſpiritali adjudicanda procul dubio eſt (§. 48.). Ergo mens humana ſubſtantia ſpiritalis eſt.

COROLLARIUM I.

§. 50. Eſt igitur humana mens, ut eam praeclare exhibet Vir Clar. (1), *Subſtantia ſpiritualis*, *ſimplex & indiſſolubilis*, *inviſibilis*, *& incorporea*, *paſſibilis*, *atque mutabilis*, *carens pondere figura & colore*. Ita namque hactenus demonſtratis haec convenire ſummatim videntur, ut nihil melius.

Co-

(1) Auctor Libri: *de Spiritu & Anima* Cap. XXIV.

COROLLARIUM II.

§. 51. *Itaque ſubſtantia illa, quae reminiſcitur, quae verum percipit, quae de ideis judicat, quae ratiocinatur, quae appetit bonum cognitum, quaeque ſuarum operationum eſt intime conſcia, ſpiritalis eſſe debet.* Enimvero quecunque allata huc uſque & demonſtrata ſunt, id nimirum evincebant, ita actiones commemoratas materiali ſeu corporeae ſubſtantiae competere haud poſſe, ut nonniſi ſpiritali ſubſtantiae eſſent tribuendae.

COROLLARIUM III.

§. 52. Quum tanta evidentia, quanta in rebus phyſicis eſſe poteſt, naturali ratione oſtenſum fuerit, mentem humanam ſpiritalem eſſe ſubſtantiam, *conſequitur, evidenter conſtare, materialiſmum nonniſi falſam hypotheſim fore merito appellandum.* Enimvero; ut ipſe ſummus Orator aeque ac Philoſophus Tullius (a) luculenter faſſus eſt; niſi divinum prope ac ſpiritale prorſus eſſet hominis ingenium, tam ſtupenda atque eximia non patraret. *Quis igitur* (ut cum Lactantio loquar) *tam indoctus eſt,*

(a) QQ. Tuſc. Lib. I. Cap. XXVI.

eſt, ut neſciat? Quis tam imprudens, ut non ſentiat, aliquid ineſſe in homine divini (a)?

COROLLARIUM IV.

§. 53. Tanta excellit dignitate mentis humanae natura, ut ipſa ſola, ea qua praeſtat ſubſtantiae ſpiritalitate Religionem intelligat, ac ſupremum extare aliquod Numen colendum cognoſcat. *Ex tot generibus*, inquit Tullius (b) *nullum eſt animal, praeter hominem, qui habeat notitiam aliquam Dei. O rem dignam* (mirum in modum obſtupefactus exclamat graviſſimus Philoſophus (c)), *in qua non modo homines, ſed ipſas pecudes obſtupeſcere, ac ſi fieri poſſet, etiam erubeſcere oporteat, cognatum eſſe hominem Deo: Nullum aliud in terris animal, niſi hominem ſolum Dei cognitione imbutum eſſe; nec quidquam eſſe aliud, quod animo e divina mente hauſto praeditum ſit*. Enimvero ad tantum cognitionis haudquaquam pertingeret faſtigium niſi ſpiritale prorſus illud eſſet principium, a quo cognitio tanta ortum habet.

(a) Lib. *De Ira Dei*, Cap. VII.
(b) Lib. I. *De Legibus* Cap. VIII.
(c) Auctor Lib. *De Conſolatione* Ciceroni vulgo adjudicati.

SECTIO III.

De naturali Mentis humanae immortalitate.

TAmetſi ex confectis huc uſque de animorum ſpiritualitate demonſtrationibus, ita eo rem nos perduxiſſe confidere jure deberemus, ut facile inde nonnullis tantum Corollariis ac levi lucubratione eorum pateret immortalitas; Attamen in ſe funditusque ſpectata diſſertationis hujuſce materia, ita mihi viribus nerviſque omnibus diſcutienda viſa eſt, ut peculiari indigere ſectione non immerito exiſtimaverim. Nulla eſt enim, in qua Divini Numinis colendi timendique ratio fortius evincatur, nulla, quae ad definiendum ſummum hominis bonum, ejuſque mores conformandos, recteque inſtituendos faciat magis, uberiuſque pertineat. Quamobrem ſit

DEFINITIO I.

§. 54. *Immortale* illud generatim nobis eſt, quod perire aut interimi nequit, vel per annihilationem, vel per partium diſſolutionem.

SCHOLION.

§. 55. Nihil profecto vel leviter attendenti patere medium poteſt, quo immortale aliquid perſeveret: Aut enim mori aut corrumpi aliquid nequit, quod ex ſui natura particulis non donatur, in quas ſolvi poſſit; aut ipſum perimi nequit, quia annihilari repugnat. Hinc recte Philoſophi *immortale* in duo partiti ſunt genera; quorum unum *immortale intrinſecus*, *aliud immortale extrinſecus* dicere voluerunt. Itaque ſit

DEFINITIO II.

§. 56. *Intrinſecus immortale* dicitur illud, *quod perire nonniſi per annihilationem poteſt:* Quod nimirum, ſi ipſum eſſe deſinere debet, non particularum ſolutione deficere, ſed in nihilum ſui abire neceſſe habeat.

COROLLARIUM.

§. 57. *Omnis itaque ſubſtantia ſimplex eſt intrinſecus incorruptibilis*. Hujuſcemodi namque ipſa eſt, ut nonniſi per annihilationem perire queat (Part. I. §. 314.)

D E F I N I T I O III.

§. 58. Illud vero dicitur non *intrinſecus* ſolum, verum etiam *extrinſecus incorruptibile*, quod eſt hujuſcemodi, ut ipſum perire omnino repugnet: Ita nimirum ſe habeat, ut a nulla extrinſeca cauſa deſtrui & annihilari valeat.

C O R O L L A R I U M I.

§. 59. Itaque *ſolus Deus eſt intrinſecus ſimul, atque extrinſecus incorruptibilis & immortalis*. Deus enim nulli ſubjectus eſt; caetera vero Entia a Deo dependent, ut exiſtant. Hoc autem ſenſu ſolus Deus a D. Paulo (a) appellatur immortalis.

C O R O L L A R I U M II.

§. 60. *Nihil ergo poteſt natura ſua, ſive intrinſecus immortale eſſe, niſi aeque natura ſua indiſſolubile in partes ſit*. Quod enim natura ſua diſſolubile eſt in partes, poteſt naturae viribus deficere, & morti ſubjici.

C O R O L L A R I U M III.

§. 61. *Quod natura ſua immortale eſt, natura perinde ſua nequit vita privari*. Sicuti enim mortale natura ſua eſt, quid-

 quid

(a) Epiſt. I. ad Timoth. Cap. VI. v. 16.

quid ita vivit, ut viribus naturae poſſit in eo vita extingui, ita ex adverſo natura ſua eſt *immortale*, quod ipſa ſua natura prohibet vita privari.

SCHOLION I.

§. 62. Nobis perinde eſſe debet, quum de mentis humanae *immortalitate* agitur, ſive illa adſtruatur *incorruptibilis* nomine, ſive *immortalis* appellatione. Nihil enim intrinſecus *immortale* eſſe valet, niſi natura ſua *incorruptibile* aeque habeatur; nimirum, niſi animus ejus ſit naturae, ut cum corporis eſſentia & proprietatibus confundatur. Hinc Tullius (a), *ſi cor*, inquit, *aut ſanguis, aut cerebrum eſt animus, certe quoniam eſt corpus, interibit cum reliquo corpore; ſi anima eſt, fortaſſe diſſipabitur; ſi ignis, extinguetur; ſi eſt Ariſtoxeni harmonia, diſſolvetur*. Haud equidem inficior, ſi Dei potentia potiſſimum ſpectetur, fieri poſſe, ut quod nativa ſui indole in partes ſolubile eſt, illud ipſum nihilominus immortale poſſe ſervari. Quum vero omnes ſeu Graeci ſeu Latini Philoſophi, qui peſſimam de animorum mortalita-

(a) QQ. Tuſcul. Lib. I. Cap. XI.

litate doctrinam amplexati fuere, animos idcirco mortales eſſe atque una cum corpore perituros voluerint, quod corporeos ipſos eſſe conati fuerint adſtruere; nobis proinde unum idemque eſſe arbitramur, ſive mens humana *corruptibilis* natura ſua ſive *mortalis* aſſeratur; atque ex adverſo, ſive *incorruptibilis* ſtatuatur, ſive *immortalis*. Inter eos autem, qui Epicuri, Leucippi, atque Democriti impiam de mortali animo opinionem viribus nervisque omnibus tutati ſunt, eminent Titus Lucretius Carus (a), atque Plinius (b); quos, ſi me vera dixiſſe cupit comperire, perlegere unumquemque attente non pigeat.

SCHOLION II.

§. 63. Quum ergo adverſus hoſce immortalitatis animorum impugnatores quaeritur *an humana mens incorruptibilis & immortalis ſit*, res eſt duntaxat de immortalitate intrinſeca. Dubitabit ſiquidem nemo, quin Deus omnipotens, ſi velit, poſſit mentem ipſam in hominis morte perimere. Hinc rectiſſime Plato minores Deos;

S 3 An-

(a) *De rerum natura* Lib. III. a v. 418 ad v. 842.
(b) Natural. Hiſt. Lib. VII. Cap. LV.

Angelos ſcilicet; Deum ſic alloquentem inducit: *Generati eſtis, immortales quidem, & tamen indiſſolubiles omnino non eſtis. Nec tamen unquam diſſolvemini, nec mortis fatum ſubibitis. Nam voluntas mea majus praeſtantiuſque vobis eſt vinculum ad vitam cuſtodiendam, quam nexus illi, quibus eſtis tunc, quum gignebamini colligati* (a). Attamen illud ſemper tanquam indubitatum erit habendum, ipſam mentem intrinſecus immortalem atque indiſſolubilem eſſe; quippe tota tunc annihilationis ratio in Dei voluntate illam perimentis ſita eſſet.

Hypothesis I.

§. *64*. Adeo ſolius Dei proprium eſt res quaſcumque ex nihilo condere, ut nulli agenti creato, quantumvis perfecto & viribus inſtructo, competere poſſit.

Corollarium I.

§. *65*. Ergo *ſolius Dei proprium eſt res ex nihilo conditas iterum in nihilum convertere:* Niſi enim ab ipſo quae jam creata ſunt *perenni vi* conſerventur (Part. I. §. 214.) ea ipſa in nihilum redire indubitatum eſt.

(a) In Timaeo.

Corollarium II.

§. 66. Igitur *nulla ſubſtantia ſimplex interimi poteſt ab agente creato*. Haec enim nonniſi per annihilationem perire poteſt. (Part. I. §. 314.)

Hypothesis II.

§. 67. *Mens humana, niſi annihiletur a Deo, perenni cogitatione & vita praedita ſit neceſſe eſt*. Mens ſiquidem humana a corporea quapiam ſubſtantia diverſa plane conſtituta fuit (§. 31. §. 33. §. 34.) ejuſque functiones ab eſſentialibus corporum affectionibus diverſae aeque viſae ſunt (§. 36. §. 37.) Ergo & vita mentis diverſa eſſe debet ab ea, quae corpori vulgo tribuitur, aut quae corporis propria eſſe poſſit; agitatione nimirum atque corporearum partium motu & energia. Ita plantam, ignem, atque alia, quemadmodum per ſe eſt perſpicuum; tandiu vivere dicimus, quandiu actione aliqua vitali ea ipſa permoveri & agitari cognoſcimus. Mentis igitur humanae vita, niſi a Deo per annihilationem perimatur, in perenni cogitatione verſari debet. At mentem non ſemper cogitare paululum permittamus: Ipſa tamen per intervalla ſaltem

cogi-

cogitabit & non cogitabit. Cogitet *ex. gr.* tempore A, non cogitet tempore B. Verum a ſtatu cogitationis ad ſtatum non cogitationis tranſibit, vel ipſa mentis natura, vel externae alicujus cauſae vi atque impulſu. Primum eſſe nequit: quippe nullum corpus, quemadmodum ſuapte natura a motu ad quietem ferri poteſt; ita nulla ſubſtantia ſuopte motu ab *actione* quacunque ad *inactionem* tranſitum habere valet. Cujus equidem rei potiſſima ratio eſt; quod unumquodque natura ſua & eſſe & conſervari poſtulat, nec ipſum ſibi poteſt eſſe contrarium. Neque ſecundum praeterea dici valet. Id enim contingeret aut corporis alicujus impulſu, vel Dei voluntate. At quum mens incorporea ſit (§. 36.) intelligi in ipſa nullus poteſt motus aut corporis conatus, niſi aut eadem magnitudine & figura inſtructa ſupponatur, aut moveri poſſit de loco in locum, aut ipſa quieſcere dum eſt in motu; quod menti repugnare viſum fuit (§. 34. §. 35.). Dei vero voluntate id fieri poſſe non inficiamur: At quae nam ſint momenta, quae ita contingere evincant, nullus cordatus Philoſophus nobis exhibere poterit.

S C H O L I O N.

§. *68.* Ea eſt cujuſcunque Hypotheſis penes Mathematicos natura, ut per ipſam aliquid tanquam indubium ac certiſſimum aſſumatur, quod vel in alia ſcientia invicte atque perſpicue demonſtratur, vel quod in ea ipſa Diſciplina inferius, at opportunius, oſtenditur. Quum nos itaque laudatam modo Hypotheſim adhibere, tanquam rei poſtmodum demonſtrandae aptiſſimam, non inconſulto ſtatuerimus, levi primum ratiocinio illam firmavimus, deinde ſuo loco fuſius pertractare pollicemur; ubi, Carteſio ac Mallebranchio Ducibus ac Clariſſimis Praeceptoribus, mentis humanae vitam in perenni cogitatione ſitam eſſe palam fiet. Sit itaque

P R O P O S I T I O IV.

Mens humana incorruptibili vita donatur.

§. *69. Demonſtratio I.* Mentis humanae vita in actione aliqua conſiſtere debet: Neque enim mens ipſa intelligendi virtute donaretur, niſi actione ſua ideas verſare poſſe comperta fuiſſet (§. 5.): Atqui actio ejuſmodi, qua ipſa vivit, incorruptibilis eſt: Ergo mens humana &c.

Prob.

Prob. min. Illud incorruptibile eſt, quod ſimplex eſt; eo quia omnis ſubſtantia ſimplex eſt intrinſecus incorruptibilis (§. 57.): Atqui actio, qua vivit mens humana ſimplex eſt prorſus: Ergo &c.

Probat. min. Aut actio ejuſmodi, qua mens vivit, corporea eſt, aut ſpiritalis: Atqui corporea eſſe nullatenus poteſt (§. 37. §. 40. §. 41.): Ergo ſpiritalis dicenda eſt (§. 18.): Atqui illud, quod ſpiritale eſt ſimplex eſt prorſus: Ergo actio, qua vivit &c.

Demonſtratio II. Soritica methodo: Modus quo agit mens humana ab eo penitus differt, quo corporea ſubſtantia vel patitur, vel operatur (§. 43.). Quae ita a corpore in agendo differt, ſpiritalis eſt (§. 50.) ſubſtantia ſpiritalis, quae a corpore in agendo differt penitus, in vivendo quoque differre debet: Quae ſic a corpore in vivendo differt, vita aeque gaudere debet, quae per mechanicas corporis affectiones explicari nequeat; eo quia mentis humanae perceptio, judicium, ratiocinatio, volitio, & intima conſcientia aliquid ſunt omnino diverſum ab ea tenuiſſima, maxime-

meque mobili ac vivida ſubſtantia, quae ex puriori ſanguine in cerebro elaboratur (§. 40.): Quae vita, ut ſpiritalis, corpori oppoſitam undequaque explicat indolem, oppoſitiſque gaudet proprietatibus & affectionibus, ipſa eſt etiam entitativa inextenſa, atque in partes integrales prorſus indiviſibilis (§ 23.): Ergo vita hujuſmodi incorruptibilis eſt: Ergo mens humana &c.

COROLLARIUM I.

§. 70. Ergo *mentis humanae vita extingui nequit per diſſolutionem partium:* Quae enim vita natura ſua, ſive intrinſecus in partes integrales eſt prorſus indiviſibilis, ea ipſa profecto earundem partium diſſociatione aboleri aut extingui nequit. Hinc Tullius (a) *In animi*, inquit, *cognitione dubitare non poſſumus, niſi plane in phyſicis plumbei ſimus, quin nihil ſit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex: Quod quum ita ſit, certe nec ſecerni, nec dividi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt: Nec interire igitur. Eſt enim interitus quaſi diſceſſus, & ſecretio, ac direptio earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur.*

(a) QQ. Tuſcul. Lib. I. Cap. XXIX.

COROLLARIUM II.

§. 71. *Hinc eodem modo perire nequit mentis humanae vita, quo mixta quaeque, ac proinde etiam humanum corpus, intereunt.* Haec enim omnia, ut ex dictis patet, nonniſi partium diſſociatione diſſipantur & pereunt.

COROLLARIUM III.

§. 72. Ergo *mentis humanae vita nonniſi per annihilationem extingui ac diſſipari poteſt.* Enimvero ſolius Dei proprium eſt res ex nihilo conditas iterum in nihilum convertere (§. *65.*) Quae ex nihilo ſui & ſubjecti fiunt Entia ſimplicia ſunt (Part. I. §. 311.) Inter Entia ſimplicia, mentis humanae vita recenſeri debet; eo quia incorruptibilis eſt (§. *69.*) Quae ſimplicia ſunt, nonniſi per annihilationem interire valent (Part. I. §. 314.): Ergo &c.

COROLLARIUM IV.

§. 73. *Igitur mentis humanae vita per actionem agentis creati extingui nequit.* Hoc enim ſolius Dei proprium eſt (§. *65.*)

COROLLARIUM V.

§. 74. Ergo *mentis humanae vita ipſa ſui natura, ſive intrinſecus incorruptibilis eſt.*

eſt. Quae enim vita per diſſolutionem partium perire nequit (§. 70.) Quae neque ad inſtar corporum extingui valet (§. 71.) Quae interimi nonniſi per annihilationem poteſt (§. 72.), ea ipſa evincit, natura ſua, incorruptibilem eſſe.

COROLLARIUM VI.

§. 75. Ergo *mentis humanae vita ipſa ſui natura a corpore nullatenus pendet*. Si enim vita ejuſmodi nonniſi per annihilationem (quod ſolius Dei proprium eſt) extingui aut diſſipari valet (§. 72.); neque per actionem ullius agentis creati perire (§. 73.), nulla ſane in ipſa a corpore dependentia excogitari valet.

COROLLARIUM VII.

§. 76. Igitur *mentis humanae vita natura ſua, ſive intrinſecus, corpori poſt mortem ſuperſtes ac vivens perſeverat*. Manet quippe natura ſua poſt mortem vivens, ſi ipſa ſua natura incorruptibilis ſit; neque illius agentis creati actione extingui poſſit.

COROLLARIUM VIII.

§. 77. Ergo *mens humana, ſi poſt mortem vivens perſeverare aſſeratur, aut niſi a Deo annihiletur, perpetuo cogitat:* Ipſa nimi-

nimirum ſua natura ideas percipit, de iis judicat, argumentatur, ſuarumque perceptionum intime eſt conſcia: Velle inſuper & nolle ipſi adjacet, gaudet, triſtatur, aliiſque id genus motibus afficitur. Enimvero tota mentis humanae vita nonniſi hiſce actionibus conſtare dicenda eſt. Quum vero ejus vita in perenni cogitatione conſiſtere conſtitutum a nobis fuerit (§. 67.) conſequitur mentem ipſam humanam perpetuo cogitare, caeteriſque operationibus occupari.

SCHOLION I.

§. 78. Humanam mentem ejuſque vitam Dei voluntate per annihilationem in morte haudquaquam interimi, verum illius potius conſervatione corpori ſupereſſe poſt mortem ſine fine victuram, tametſi non apodicticis argumentis, quae menti vim faciant, in comperto ſtatui poſſit, attamen graviſſimis id momentis evincitur, quae Virum docilem permoveant & veritatis aequitatiſque amatorem. Conſtat namque, certiſſimo ipſiuſmet Dei oraculo, pulverem, ſive corpus reverſurum eſſe *in terram ſuam, unde erat;* ſpiritum vero, animum ſcilicet,

redi-

rediturum *ad Deum*, *qui dedit illum* (a); Juſtorum animas eſſe *in manu Dei*, neque unquam fore, ut *tormentum mortis* illas attingat (b); Chriſtum Dominum dicturum eſſe juſtis in extremo judicii die, ut ad eum veniant benedicti a Patre, regnumque accipiant; impiis autem ex adverſo, ut eant maledicti in ignem aeternum, quem Diabolo ejuſque Angelis tunc itidem conſtituit juſtiſſimus Judex (c). Praetereo innumera alia id genus oracula, quibus Deus certos nos reddit, animam noſtram divina voluntate aeternum eſſe duraturam. Haec enim, quae ſummis modo labiis delibavimus, rem ipſam ſatis evincunt.

Ac, praetermiſſis brevitatis ergo Scripturarum momentis, forte ne ratio ipſa probabilis & aequa admodum non apprime perſuadere nos poteſt, nullo Dei decreto rationalem animam in morte eſſe interituram? Enimvero haud juſtus cumprimis videretur Deus, ſi nullum poſt mortem futurum eſſet virtuti praemium, nulla ſceleribus

(a) Eccleſiaſtes Cap. XII. v. 7.
(b) Sapientiae Cap. III. v. 1.
(c) Matth. Cap. XXV. v. 34. & ſeq.

ribus poena; atque hinc ſi una cum corpore animus aeque in morte periret, nihilque hominibus relinqueretur, quod pro conditione eorum, quae geſſit in vita, praemium ſuppliciumve reciperet. *Si nihil eſt poſt hanc vitam*, (ita praeclare & graviter more ſuo animadvertit S. Joannes Cryſoſtomus (a),) *ne Deus quidem eſt. Sin Deus eſt, juſtus eſt: Quod ſi juſtus ſit, pro dignitate tribuet unicuique. Si nihil poſt hanc vitam ſit, quomodo, quod par eſt recipiet unuſquiſque?* Itaque ſi humanam mentem Dei potentia in morte annihilari credamus, equidem non video quomodo aequitati divinae & providentiae ſarctae tectaeque ſervandae conſulamus. *Nec enim temere, nec fortuito*, ut probe expendit Cicero (b), *ſati & creati ſumus; ſed profecto fuit quaedam vis, quae generi conſuleret humano; nec id gigneret, aut aleret, quod, quum exantlaviſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum*. Profecto, ut doctiſſimus teſtatur Melchior Canus (c), *nulla*

(a) Orat. IV. *De Providentia*, ſive *de Fato*.
(b) QQ Tuſcul. Lib. I Cap. XLIX.
(c) Lib. XII. *De locis Theol.* Cap. IV.

la omnino Reſpublica, quod Solon veriſſime dixit; niſi duabus rebus, contineri poteſt, praemio, & poena. Quae cauſa Platonem movit, ut, quoniam videbat optimos ſaepe Viros pro rebus praeclare geſtis nullo in hac vita praemio virtutis, nullo inſigni honoris, nullo monumento laudis decoratos, aſſereret animos immortales, officii praemium, & fructum aliquando accepturos; abſurdum quippe eſſe, ut verus, juſtus, & honeſtus labor honoribus, praemiis, ſplendore careat; ſi qua eſt in caelo pietas, ſi quod Numen, quod talia curet. Non itaque aut Campos Eliſios, aut Siſyphi ſaxum, Ixionis rotam, Tantali ſitim, Poematis ſolum eſſe ſed hiſtoriae. Nam ut ficta ſint a Poetis iſthaec omnia, veri tamen ſignificandi gratia, ficta ſunt, ut utiliſſima illa, veriſſimaque ſententia in animis hominum inſcriberetur: RECTE FACTIS PRAEMIA, PECCATIS SUPPLICIA DEBERI. Quum vero Deus Opt. Max. nullibi ſibimetipſi contrarius in agendo deprehendi valeat, profecto qui ſcelera & malefacta hominum, pro ejus maxima ſanctitate, vetat, & averſatur; qui ſceleſtis poenas in hac vita etiam quandoque infert, qui lau-

T da-

dabilibus geſtis praemia conſtituit, neutiquam putandus, aut impia facinora poſt mortem inulta velle deſerere, aut quae cum laude ſunt patrata ſine ſolatio praemioque relinqui, rationalem animam perimendo.

SCHOLION II.

§. 79. Ne quis vero putare audeat, peccatum quodpiam unicuique criminoſo poenam fore funeſtiſſimam, juxta celebre illud S. Auguſtini effatum (a): *Juſſiſti* (Domine), *& ſic eſt, ut poena ſua ſit omnis inordinatus animus;* atque ex adverſo unicuique bono Viro virtutibuſque praeſtanti, ipſam virtutis dulcedinem ſufficiens fore ſolatium ac praemium; ideoque juſte a Deo uniuſcujuſque animum poſſe interimi atque annihilari poſt mortem; contra ſic arguitur: Aut peccatum eſt ſufficiens poena peccati; aut ſecus. Si primum: Ergo in hoc mundo injuſte prorſus puniuntur ſceleſti; ſed relinquendi ſunt, omnes, ut voluptatibus libere indulgeant ſuis, & jura quaeque contemnant: Quod quam nefarium, quam turpe ſit, nemo non intelligit. Sin alterum: Ergo aliam poſt corporis mortem,

(a) Lib. I. *Confeſſ.* num. 19. alias Cap. XII.

tem, admittamus vitam oportet; ne ſcilicet, aut inſignis improbitas maneat ſine poena, aut eximia magnaque virtus abſque praemii retributione. Si autem peccatum ſibi ipſi adaequata poena eſſe non evincitur, neque virtus ipſa profecto rerum optime geſtarum praemium appellare fas erit. *Si virtus* (ſic ſcite Lactantius) (a) *per ſeipſam beata non eſt, quoniam in perferendis malis tota vis ejus eſt: Si omnia, quae pro bonis concupiſcuntur negligit: Si ſummus ejus gradus ad mortem patet; quandoquidem vitam, quae optatur a caeteris, ſaepe reſpuit, mortemque, quam caeteri timent, fortiter ſuſcipit: Si neceſſe eſt, aliquid ex ſe magni boni pariat, quia ſuſcepti & ſuperati uſque ad mortem labores ſine praemio eſſe non poſſunt: Si nullum praemium, quod ea dignum ſit, in terra reperitur; quandoquidem cuncta, quae fragilia ſunt, & caduca ſpernit; quid aliud reſtat, niſi ut caeleſte aliquid efficiat, quia terrena univerſa contemnit; & ad altiora nitatur, quia humilia deſpicit. Id vero nihil aliud eſſe poteſt, quam immortalitas.* Re-

 ctiſ-

(a) Divinar. Inſt. Lib. III. Cap. XII.

ctiſſime proinde Socrates moriturus, tametſi ethnicus Philoſophus, atque adeo ſola naturali ductus ratione, *duas*, ut refert Tullius (a) *eſſe vias* teſtatus eſt, *duplicesque curſus animorum e corpore excedentium. Nam qui ſe humanis vitiis contaminaviſſent, & ſe totos libidinibus dediſſent, quibus caecati velut domeſticis vitiis atque flagitiis ſe inquinaviſſent, vel Republica violanda fraudes inexpiabiles concepiſſent, iis devium quoddam iter eſſe, ſecluſum a concilio Deorum. Qui autem ſe integros caſtosque ſervaviſſent, quibusque fuiſſet minima cum corporibus contagio, ſeque ab his ſemper ſevocaſſent, eſſentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus eſſent profecti, reditum facilem patere*. Flagitia itaque, quemadmodum virtutum geſta, nec flagitioſum ſatis in hac vita ac pro merito torquere poſſunt, nec virtute praeditum Virum conſentaneo valent ſolatio recreare. Quamobrem recta ratione edocemur, animum Dei voluntate poſt interitum vigere ſempiternum, nec ab ipſo ſi juſtitiam cunctis debeat impertiri,

(a) QQ. Tuſcul. Lib. I. Cap. XXX.

tiri, fore extinguendum ac ſua incorruptibili vita privandum. Atque hac ipſa opinione potiſſimum vetuſtiſſimas cultioreſque nationes, ut animam rationalem corpori ſuperſtitem in morte crederent, fuiſſe permotas, ex firmiſſimo omnium populorum conſenſu, conſtantique per omnes aetates Gentium omnium ſententia ſatis liquido ac facile eruitur. Enimvero penes omnes Sepulcrorum curam, Apotheoſim, adeoque alterius vitae perſuaſionem vigere tam firmam reperimus, ut nullis confirmatae inſtitutis, legibus, aut hominum inventis in eadem ſemper ſententia perſeveraſſe legantur. *Quum de animorum aeternitate diſſerimus, non leve*, inquit Seneca (a), *momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium aethera, aut colentium*. At ita porro ſenſiſſe de animorum vita poſt mortem nationes omnes, omneſque populos, ignorare is tantum poteſt, qui plane hoſpes eſt in hiſtoriis; qui veterum caeremonias, ritus, ac leges; qui veterum de virtutum, vitiorumque praemiis aut poenis ſententias prorſus ignorat. Auctor eſt Strabo

(a) Epiſt. XVII.

bo (a), Indos habuiſſe pro re comperta, *hanc vitam habendam eſſe, quaſi recens concepti foetus ſtatum: Mortem vero partum eſſe ad eam, quae vere vita eſt, planeque beatam; iis ſcilicet, qui ſapientiam ſectati fuerint*. Idipſum de hujus gentis Philoſophis tradit Caelius Rhodiginus (b); qui etiam refert *Chaldeos & Indorum Magos, humanam animam eſſe immortalem, primos omnium tradidiſſe*. Ex Aegyptiis, & Thracibus, ut ex Herodoto, atque Mela teſtatur Clar. Du-Hamel (c), quidam animos obeuntium redituros ad vitam arbitrabantur, quidam vero non redituros putabant; verum neque interimi, ſed ad beatiorem ſtatum tranſire. De qua re qui ampliora noſcere cupit Cl. Virum Joannem Boemum Aubanum (d) nec non Gerardum Woſſium (e) atque eruditiſſimum Huetium (f) adeat. Priſcis praeterea illis, quos *Caſcos*, omnium

(a) Lib. XV.
(b) Lib. XVIII. *Lectionum Antiquar.* Cap. XXXI.
(c) Tractat. III. *Metaphyſ. ad uſum Burgundiae* Diſput. III. Quaeſt. I.
(d) Lib. I. Cap. V. *De moribus, legibus, & ritibus omnium Gentium*.
(e) *Theolog. Gentil.* Lib. II. Cap. X.
(f) *In Alnetan.* Lib. II. Cap. VIII.

omnium ſcilicet antiquiſſimos, vocabat Ennius apud Tullium, id erat inſitum, eodem Tullio teſte, *eſſe in morte ſenſum, neque exceſſu vitae ſic deleri hominem, ut funditus interiret: Idque quum multis aliis rebus, tum e Pontificio jure, & caeremoniis ſepulcrorum intelligi licet, quas maximis ingeniis praediti nec tanta cura coluiſſent, nec violatas tam inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi haeſiſſet in eorum mentibus, mortem non interitum eſſe, omnia tollentem atque delentem, ſed quandam quaſi migrationem, commutationemque vitae, quae in claris Viris, & faeminis dux in caelum ſoleret eſſe, in caeteris humi & retineretur, & permaneret tamen* (a). Refert quoque Julius Caeſar, primum, quod Druidae in Gallia perſuadere nitebantur, de animorum immortalitate Dogma fuiſſe; idque ea potiſſimum de cauſa, quod *hoc maxime ad virtutem excitari* putarent *metu mortis neglecto* (b). Traditionem poſtremo de animorum immortalitate a primis uſque ductam eſſe parentibus, eamque hinc ad ſe-

T 4 quio-

(a) QQ. Tuſc. Lib I. Cap. XII.
(b) Lib. VI. *De bello Gallico*.

quiores pene omnes manaſſe populos, *ex Homeri carminibus apparet*, inquit vir doctiſſimus Hugo Grotius (a); *& ex Philoſophis non Graecorum tantum, ſed & Gallorum veterum, quos Druidas vocabant, & Indorum, quos Brachmanes; & ex iis, quae de Aegyptiis & Thracibus, quin & Germanis, Scriptores plurimi prodiderunt. Quin* (ita idem Clar. Auctor addit (b)), *& de judicio divino poſt hanc vitam plurima extitiſſe videmus, non apud Graecos tantum, ſed & apud Aegyptios, & Indos; ut nos Strabo, Diogenes Laertius, Plutarchus docent: Quibus addi poteſt traditio de Mundo hoc conflagraturo, quae olim apud Hyſtaſpem, & Sibyllas; nunc quoque apud Ovidium & Lucanum reperitur. Etiam quum in Canarias, Americam, & alia longinqua loca primum ventum eſt, reperta ibi quoque eadem de animis, & judicio ſententia*. Deus itaque Optimus atque Sapientiſſimus qui hominis mentem ſpiritalem condidit ex nihilo, qui eidem virtutis bonum amplectendum propoſuit, malumque vitiorum

(a) Lib I. *De Veritate Religionis Chriſtianae.*
(b) Ibidem.

rum ſugiendum praeſcripſit, ſtatutis utrimque praemii & poenarum ponderibus, non adeo injuſtus ſolum habendus eſt; quoties rationalem animam in morte cum corpore interimere ſupponatur; verum etiam, ut juſtiſſimus eam conſervando putandus eſt, ita ipſum maximopere providum exiſtimare debemus; utpote qui firmiſſimam & ab ipſa natura ac pene cum lacte receptam immortalitatis animorum perſuaſionem in omnium populorum mentibus perpetuo conſervaverit. Itaque ſi, ut cum Tullio loquar, *omnium conſenſus naturae vox eſt; omneſque, qui ubique ſunt, conſentiunt, eſſe aliquid, quod ad nos pertineat, qui e vita ceſſerint; nobis quoque idem exiſtimandum eſt* (a). Neque vero Deum minus injuſtum merito arbitrari poſſemus, ſi ſpectato etiam innato illo beatitudinis deſiderio, quo univerſi rapiuntur homines, ipſe nihilominus tantae cupiditatis Auctor Deus, evanidam illam efficeret animorum exinanitione. *Beate certe*, inquit S. Auguſtinus, *omnes vivere volumus; neque quiſquam eſt in hominum genere, qui non huic ſententiae*,

(a) QQ. Tuſcul. Lib. I. Cap. XV.

tiae, antequam plane ſit emiſſa conſentiat (a). Conſtat quoque humanam conditionem tantae eſſe dignitatis, *ut nullum bonum*, inquit Vir Doctiſſimus (b), *ut nullum bonum, praeter ſummum ei ſufficere poſſit:* Et jure quidem. Etenim, ut praeclare aeque ac profunde animadvertit praelaudatus S. Auguſtinus (c), tale illud eſſe debet, *quod* (homo) *non amittat invitus. Quippe nemo poteſt confidere de tali bono, quod ſibi eripi poſſe ſentit, etiamſi retinere id, amplectique valuerit. Quiſquis autem de bono, quo fruitur, non confidit, in tanto timore amittendi beatus eſſe qui poteſt?* Aut ergo ampliſſimae vehementiſſimaeque hujuſce in felicitatem noſtram cupiditatis Auctor Deus eſſet accuſandus, ſi poſtmodum, animam rationalem in morte perimendo, falleret nos, quominus immortali beatitudine frueremur; aut dicendum cum elegantiſſimo Tullio (d), certo fore, ut tunc ſimus beati, *quum corporibus relictis, & cupiditatum, & aemulationum erimus expertes;*

(a) Lib. *De Moribus Eccleſiae* n. 4. alias Cap. III.
(b) Auctor Lib *De Spiritu & Anima*, Cap. XIV.
(c) *Ibidem* num. 5. alias Cap. III.
(d) QQ. Tuſcul. Lib. I. Cap. XIX.

tes; quodque nunc ſacimus, quum laxati curis ſumus, ut ſpectare aliquid velimus, & viſere, id multo tum faciemus liberius, totoſque nos in contemplandis rebus perſpiciendiſque ponemus. Illud etiam accedit, & quidem maximum, Deique aequitate ac ſapientia plane indignum; hominem nimirum deterioris tunc fore conditionis, quam caetera quaeque viventia; licet praeſtantioris ſit naturae. Quo enim tendunt viventia quaequae rationis expertia, niſi ad id conſequendum pervenire tandem, quod nativo appetunt inſtinctu? Illud ipſum conſequi facile poſſunt, & conſequuntur reipſa, in eoque adepto perfectiſſime quieſcunt. Contra vero, ſi nulla nobis poſt mortem futura ſit vita, nunquam expleri in nobis poterit illud felicitatis deſiderium, quod Deus ipſe nobis impreſſit; unde fateri cogimur, nos ita eſſe miſeros, ut non miſeri neque futuri unquam ſimus, neque eſſe poſſimus. Praeclare idcirco S. Auguſtinus (a), *ſi pecora*, inquit, *eſſemus*, *carnalem vitam*, *& quod ſecundum ſenſum ejus eſt*, *amaremus; idque eſſet ſufficiens bonum no-*

(a) Lib. XI. De Civitate Dei Cap. XXIX.

noſtrum, *&* *ſecundum hoc*, *quum eſſet nobis bene*, *nihil aliud quaereremus*. Quum autem hominis beatitudo in praeſtantioribus bonis pro humanae naturae dignitate quaerenda ſit, nec ipſa in praeſenti vita comparari valeat, inde conſequitur, a Deo ſapientiſſimo atque juſtiſſimo ita homini fuiſſe conſultum, ut felici aeternumque duratura poſt mortem vita potiretur. Quae ſane univerſa, quemadmodum docilem virum quempiam permovere debent, ita etiam, ſi nonnullis aliis rationum momentis fulciantur, invictum robur adjiciunt. Enimvero nihil flagitioſius eſt quam de ſumma Dei veracitate perperam opinari, ac nihil perinde hominibus periculoſius accidere poteſt, quam ubi de graviſſimis rebus agitur, quae ab eadem divina veritate pendent, in ipſa fluctuare. Itaque nequit ſane Dei voluntate & potentia humana mens diſſipari in morte, omniſque in nobis vita extingui, quin ad honeſte vivendum, tuendamque humanam Societatem, circa animorum immortalitatem, aut circa bonorum vel impiorum ſtatum, univerſalis error neceſſario requiratur. Alte-

rius

rius quippe vitae, in qua praemia recipiant boni & puniantur iniqui, ſpe prorſus ſublata, quae profecto erit morum honeſtas? Quae juſtitia, qua una continetur humana ſocietas? Quae religio? Quae virtus? Nulla certe. At quidnam naturali rationi diſſonum eſt magis, quid etiam Dei veritati indignius, quam humanam ſocietatem ab univerſali errore adeo dependere, ut, eo ſublato, illa tollatur prorſus, & pereat? Quid iniquum magis, ipſique Conditori optimo magis injurioſum, quam periculum eſſe, ne in homine, niſi perpetuo decipiatur, nulla religio ſit, nullaque virtus? Ut ergo ſarcta tectaque, quemadmodum fas eſt, Dei veritas in rebus tanti momenti ſervetur, ita exiſtimandum eſt, humanam mentem corpori poſt mortem ſupereſſe ac vivere, quin unquam ipſius Dei omnipotentia ſit ipſa peritura. Hiſce praeterea addere neceſſe eſt, mentem videlicet noſtram annihilari a Deo in morte non poſſe, quin; quemadmomum egregie admodum urget Lactantius (a); contra naturam, & ideo malum, ipſa quoque ſit virtus. Supremus porro

(a) Lib. VII. *Divin. Inſtit.* Cap. IX.

porro Legislator virtutis iter praeceptis naturae ſenſibuſque adverſis totum ſtravit; quae vero ſuavia & voluptati ſunt accomodata, & quae uno verbo naturaliter appetuntur, prohibuit: Aut ergo malum eſt virtus, ſi mercede poſt mortem careat, aut *malum non eſt;* ita ejuſdem Lactantii verbis perſequar argumentum; *facitque honeſte, qui voluptates vitioſas turpeſque contemnit; & fortiter, qui nec dolorem nec mortem timet, ut officium ſervet: Ergo majus aliquod bonum aſſequatur neceſſe eſt, quam ſunt illa, quae ſpernit. At vero morte ſuſcepta, quod aliud bonum ſperari poteſt, niſi aeternitas?* Quamobrem niſi Deum plurima contra naturam, ac mala proinde, praecipere perperam opinari velimus, ſique contra, ut virtuoſe vivamus impellit, non nos certe Deum ipſum decipere putandum eſt; ideoque ulla ejus voluntate; ut ejuſdem Lactantii (a) argumentatione finem imponam; *mors non extinguit hominem, ſed ad praemium virtutis admittit;* atque hinc rationalis anima corpori poſt mortem ſuperſtes citra dubium manet, ſine fine victura. PRO-

(a) *Ibid.* Cap. X.

PROPOSITIO V.

Mens humana intrinſecus, poſtquam corpore ſoluta eſt, immortalis exiſtit, aeternaque vita donatur.

§. 80. *Demonſtratio I.* Illud vivens intrinſecus immortale eſt, quod perire nonniſi per annihilationem poteſt (§. 56.): Atqui mens humana, poſtquam corpore ſoluta eſt, nonniſi per annihilationem interimi valet: Ergo &c.

Prob. min. Illud nonniſi per annihilationem extingui aut perimi valet, quod ſimplex eſt (Part. I. §. 314.); aut quod ita vivit, ut ejus vita extingui nequeat per diſſolutionem partium: Atqui mens humana ſimplex prorſus poſt mortem remanet ejuſque vita extingui nequit per diſſolutionem partium (§. 70.): Ergo &c.

Prob. min. Si mens humana ſimplex haudquaquam ſupereſſet poſt mortem, aut ejus vita per partium diſſolutionem extingueretur; quemadmodum corpus natura ſua, ſive intrinſecus corruptioni obnoxium eſt, ita & mens eodem ſimul fato interiret: Atqui eodem modo perire nequit mentis humanae vita, quo mixta quaeque ac proinde

inde etiam humanum corpus intereunt (§. 71.) Ergo &c.

Demonſtratio II. Illud corpori ſuperſtes ac vivens natura ſua dicendum eſt, aeternaque frui vita poſt ejuſdem corporis interitum permittitur, quod per nullam agentis creati actionem extingui poteſt: atqui mentis humanae vita per actionem agentis creati extingui nequit (§. 73.) Ergo &c.

Prob. maj. Illud corpori ſupereſſe ac vivere natura ſua citra dubium dici poteſt, quod ideo per nullam agentis creati actionem extingui valet, eo quia id efficere ſolius Dei proprium ſit: Atqui ſolius Dei proprium eſt res ex nihilo conditas iterum in nihilum convertere (§. 65.): Ergo &c.

Demonſtratio III. Soritica methodo: Mens humana ſubſtantia ſpiritalis eſt, ſimplex, & indiſſolubilis (§. 50.): Subſtantia indiſſolubilis, immortalis eſt; eo quia immortale eſt illud quod interimi nequit per partium diſſolutionem (§. 54.): Quod ſic immortale eſt, intrinſecus eſt immortale (§. 56. §. 60.): Quod intrinſecus immortale

tale

tale eſt, natura perinde ſua nequit vita privari (§. 61.): Quod natura ſua nequit vita privari, perenni quoque cogitatione & vita preditum ſit neceſſe eſt (§. 67.): Quod natura ſua perenni cogitatione & vita praeditum eſt, incorruptibili vita donatur (§. 69.): Quod incorruptibili vita donatur, per diſſolutionem partium extingui nequit (§. 70.) Quae vita extingui nequit per partium diſſolutionem, eodem modo perire nequit, quo mixta quaeque ac proinde etiam humanum corpus intereunt (§. 71.) Quae ſic extingui nequit, nonniſi per annihilationem diſſipari valet (§. 72.): Quae per annihilationem extingui valet vita, a ſolo Deo extinguitur (§. 65.): Quae a ſolo Deo extinguitur, per nullam agentis creati actionem extingui poteſt (§. 73.): Quae vita per nullam creati agentis virtutem extingui valet, neque a corpore ullatenus ipſa ſua natura pendet (§. 75.): Quae vita a corpore nulla ratione pendet, ſoluto corpore eidem poſt mortem ſuperſtes intrinſecus perſeverat (§. 76.): Quae ſuperſtes corpori vita perſeverat; intrinſecus, niſi a Deo annihiletur, perpetuo cogitare

debet (§. 77.): Atqui mentis humanae vita, Dei voluntate haudquaquam extinguitur (§. 78.); Quae Dei voluntate vita non perimitur, nec ipſius vitae principium interimitur: Ergo mens humana intrinſecus, poſtquam corpore ſoluta eſt, immortalis exiſtit, aeternaque vita donatur.

COROLLARIUM I.

§. 81. Tota itaque quum noſtra, tum caeterorum Metaphyſicorum in demonſtranda mentis humanae intrinſeca immortalitate, vis, totumque argumentationis robur in ejus incorporea & ſpiritali natura continetur.

COROLLARIUM II.

§. 82. Tota perinde in demonſtranda reipſa aeterna & incorruptibili animorum vita poſt corporis interitum, in exhibenda (quemadmodum pluribus conati fuimus) (§. 78.) de iiſdem Dei providentia, verſatur. Niſi enim id accurate praeſtitiſſemus, intrinſecam eorum utique immortalitatem evincebamus; at non propterea id Dei voluntate & Providentia contingere demonſtrabamus.

Co-

Corollarium III.

§. 83. Igitur *naturali ratione evidenter, & quidem evidentia phyſica, & morali demonſtratum a nobis fuit, mentem humanam ipſa ſua natura eſſe immortalem, & reipſa corpori ſupereſſe poſt mortem*. Tanti ſiquidem ponderis ſunt argumenta, quibus id oſtenſum eſt, ut, niſi in phyſicis plumbei plane ſimus, fateamur oporteat, eodem ipſo jure ambigere hac de re neminem poſſe, quo dubitare de pluribus, quae in naturali philoſophia traduntur, ipſi nequimus.

Scholion.

§. 84. Qui prae caeteris de naturali mentis humanae immortalitate Scriptoribus eminet, is meo quidem judicio habendus eſt D. Thomas. Ipſe enim in utroque Opere, *ſumma* nempe *Theologica*, & altera *contra Gentes* accurate prorſus & ſubtiliſſime de animorum intrinſeca immortalitate diſputat. Sed illud in primis egregium, inter plura quae exhibet, eſt argumentum, ſi quid recte videam, quod in poſteriori Opere ſic legitur exaratum: *Omne corpus diviſibile eſt; omne autem diviſibile indi-*

get aliquo continente & uniente partes ejus. Si igitur anima ſit corpus, habebit aliquid aliud continens, & aliud magis erit anima: Videmus enim, anima recedente, corpus diſſolvi; ut ſi hoc iterum ſit diviſibile, oportebit, vel devenire ad aliquod indiviſibile & incorporeum, quod erit anima, vel erit in infinitum procedere, quod eſt impoſſibile; non eſt igitur anima corpus (a). Quibus ipſe fundamentis fultus pergit deinde ad ejuſdem animae immortalitatem invictiſſime demonſtrandam (b).

S E C T I O IV.

A quo ortum ducat mens humana.

QUanto animorum aeſtu, quantoque opinionum diſcrimine de mentis humanae origine diſputatum ſit a Philoſophis, & quam acerrime hodiernis etiam temporibus eadem aucta fuerit diſceptatio, nemo certe ignorat, niſi qui in Philoſophorum hiſtoria hoſpes plane ſit atque jejunus. Quod ad vetuſtos attinet, D. Hieronymus ſic

(a) Lib. III. Cap. LV.
(b) *Ibidem*.

ſic paucis hiſtoriam ferme omnem complectitur: *Super animae ſtatu memini veſtrae quaeſtiunculae, immo maximae eccleſiaſticaeque quaeſtionis; utrum lapſa de caelo ſit, ut Pythagoras Philoſophus, omnes Platonici, & Origenes putant: An ex propria Dei ſubſtantia, ut Stoici ..... An in theſauro habeantur Dei olim conditae, ut quidam eccleſiaſtici ſtulta perſuaſione confidunt: An quotidie a Deo fiant, & immittantur in corpora: An certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars Occidentalium cenſent* (a). Ad quinque igitur claſſes, quaecunque ſuis temporibus ferebantur opiniones retulit Doctor Maximus: Ad quae etiam totidem Capita revocantur, quaecunque a Recentioribus Metaphyſicis inſtauratae leguntur. Antequam ergo quid hac in re recte ſentiendum a ſobrio Philoſopho ſit decernamus, neceſſarium puto ea prius invicte rejicere, e quibus, falſo tamen, animorum principium derivatum affirmare contendunt. Sit itaque ex more

(a) Operum Tom. IV. pag. 642. Edit. PP. S. Mauri.

DEFINITIO I.

§. 85. Mentem humanam *Dei ſubſtantiam* a nonnullis appellatam legimus; quod nimirum Deus immenſitate ſui vitali univerſa, quae in Mundo exiſtunt impleret, eiſque ſpiritum vitamque impertiretur.

SCHOLION.

§. 86. Qui de hominis anima tam abſurde ſenſerunt, ii potiſſimum commemorari debent, de quibus olim Virgilius (a) ceciniſſe novimus. De humanae mentis origine ita prae reliquis ſenſerunt Pythagoras & Euripides: Cenſuit quippe ille Deum eſſe *animum per naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur* (b): Nempe, *demitti animos e caelo, divinaeque mentis eos eſſe non ſolum munus, ſed etiam partem praecipuam ac propriam* (c). Euripides vero, non contentus divinum aliquid, quemadmodum ipſum appellat Tullius, eſſe animum dicere, contendere praeterea auſus eſt, hominis mentem, atque Deum, nul-

(a) Lib. IV. Geog. v. 219.
(b) Tullius Lib. I. *De natura Deorum* Cap. XI.
(c) Auctor Libri *De Conſolation*. vulgo Ciceroni adſcripti.

nulla prorſus inter ſe ratione diſcerni (a). Peſſimam demum hanc, vetuſtate jam obſoletam, de origine humanae mentis ſententiam impius nuper exſuſcitavit Benedictus Spinoza. Quum enim nullum ille, ut (Part. I. §. 147.) dictum fuit, atque ut exinde dicemus, inter Dei Mundique ſubſtantiam diſcrimen ponat, quemadmodum rationalis anima ſubſtantiae mundi pars eſt, unam quoque divinae ſubſtantiae, ipſius Spinozae judicio, mentem ipſam eſſe particulam neceſſario conſequitur.

DEFINITIO II.

§. 87. Mentem humanam e caelo atque ſyderibus originem trahere, nihil eſt aliud plane, quam ipſam, priuſquam corpori copuletur, praeextitiſſe; eamque, ſtatim ac a ſummo rerum omnium Opifice condita fuit, aſtrorum orbes incoluiſſe.

SCHOLION.

§. 88. Quis primus hujuſce opinionis fuerit Auctor pervulgatum eſt. Plato nimirum, Philoſophus caeteroqui ille nobilis, ita rationales animas ante earum corpora extitiſſe contendebat, ut ipſas Animae Uni-

(a) Apud Tullium QQ. Tuſc. Lib. I. Cap. XXVI.

Univerſi totidem particulas eſſe diceret: Ita nempe ut, quemadmodum humanum corpus corporis Univerſi pars eſt, ita animus humanus ſit illius animae, quae Univerſum perficit, una veluti portio. Hominis productionem explicat vir ſummus *in Timaeo*. Hinc Macrobius Mundi animam ex Platonis mente *animarum omnium fontem appellare* non dubitat. Arbitrabatur inſuper Plato, ſingulas animas in totidem a Deo fuiſſe aſtris collocatas, tum humanis copulatas eſſe corporibus, e quibus, quum exeunt, iterum ad aſtra redire; atque ex his iterum deſcendere, aliiſque; & quidem pro meritorum conditione diverſis; ut nova animantia fiant, corporibus copulari. Qui totum hac ſuper re Platonicum ſyſtema fuſius expoſitum legere cupit, D. Auguſtinum (a) ipſumque Platonem adeat *in Timaeo*. Verum Origeniſtarum deterior hac ſuper re ſententia fuit: Ipſi enim rationales animas non tantum antiquiores eſſe corporibus, quemadmodum ſenſerat Plato, verum etiam eas omnes ob id in corpora, velut in carcerem, fuiſſe detruſas, quod,

(a) Lib. XIII. *De Civit. Dei* Cap. XIX. *nec non*.

quod, antequam ſenſibilis conderetur Mundus, lapſae ſint in errores, turpiterque peccaverint. *Animas dicunt Origeniſtae*, inquit S. Auguſtinus (a), *non quidem partes Dei, ſed factas a Deo, peccaſſe a Conditore recedendo; & diverſis progreſſibus, pro diverſitate peccatorum, a caelis uſque ad terras diverſa corpora, quaſi vincula, meruiſſe. Et hunc eſſe mundum, eamque cauſam Mundi fuiſſe faciendi, non ut conderentur bona, ſed ut mala cobiberentur*. Quae profecto duae ſententiae a vulgatiſſima illa, quae circa Metempſychoſin a Pythagoricis tradita legitur, non admodum diſtare videntur.

Definitio III.

§. 89. Animam rationalem, ſive humanam mentem ex parentibus in filios *per traducem* propagari nihil eſt aliud, quam animam filii eſſe unam illius animae partem, quae in patre exiſtit, eamque vehiculo ſeminis, filii corpuſculo, quod in matris utero deliteſcit, communicari, ineffabiliterque conjungi.

Scho-

(a) Lib. XII. *De Trinitate* num. 24. alias Cap. XV.

SCHOLION.

§. 90. Incertum eſt adhuc, utrum S. Auguſtinus ſententiae huic fuerit aliquando ſuffragatus; quemadmodum ipſam tutati ſunt Tertullianus & Apollinaris. Id ſaltem compertum eſt, eundem Auguſtinum in ancipiti ſepe opinione hac de re fuiſſe verſatum. Scribens enim S. Doctor ad Renatum Monachum; *dico*, inquit, *etiam ego de anima mea, neſcio, quomodo venerit in corpus meum; neque enim ego illam mihi donavi. Scit iſtae qui donavit, utrum illam de patre meo traxerit, an ſicut primo homini, novam creaverit. Sciam etiam ego, ſi ipſe docuerit, quandocunque voluerit. Nunc autem neſcio, nec me pudet, ut iſtum, fateri neſcire, quod neſcio* (a). Ipſum praeterea alibi haeſiſſe ſuſpenſum, nec aliquid certi definire voluiſſe, cumprimis ex reſponſione patet ad Optatum data circa ejus rei inquiſitionem ab ipſo Optato excitatam (b). Neque ſolum latuiſſe hanc quaeſtionem Auguſtinum ex plu-

(a) Lib. I. *de Anima & ejus origine*, num. 25. alias Cap. XV.
(b) Epiſt. CXC. num. 2. alias CLVII.

pluribus erui poſſet teſtimoniis verum etiam plures incertos fuiſſe IX. Chriſti ſaeculo; quid certo de humanae mentis origine ſentire debuiſſent, liquido potiſſimum apparet ex iis, quae S. Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus laudati ſaeculi ſcriptor palam exhibet. *Naſcitur*, inquit, *de carne caro, ſed utrum & anima ſimiliter de anima naſcatur, magna quaeſtio eſt, & a Patribus diu multumque diſcuſſa, ſed abſque certa definitione relicta* (a). Haec autem modo ſententia, tametſi a paucis, fortaſſe autem a nemine, defendatur; Clar. tamen Volfius (b) animam rationalem ex parentibus in filios per traducem propagari non poſſe utique fatetur; attamen Leibnitium ſequutus, contendit, animas omnium hominum, qui fuerunt, quique exiſtunt modo, atque ad finem uſque mundi naſcituri ſunt, initio ſimul conditas a Deo fuiſſe, eaſque ſingulas ſuis incluſas corpuſculis fuiſſe, quae in Evae ovario eodem ſimul tempore ipſe formaverat.

DE-

(a) Lib. *De Praedeſt. adverſus Ioan. Erigenam*, Cap. XVI.

(b) Pſycholog. rational. §. 704. 705.

DEFINITIO IV.

§. 91. *Intrinſecus ingenerabile* vocari id omne ſolet, *quod nonniſi per creationem fieri poteſt*.

COROLLARIUM I.

§. 92. Igitur *omnis ſubſtantia ſimplex eſt intrinſecus ingenerabilis*. Fieri quippe non poteſt, niſi per creationem. (Part. I. §. 312.)

COROLLARIUM II.

§. 93. Ergo *anima rationalis*, quum ſit ſubſtantia ſimplex (§. 50.) *eſt intrinſecus ingenerabilis*.

COROLLARIUM III.

§. 94. Ergo, *quemadmodum ſolius Dei proprium eſt mentem humanam annihilare* (§. 72.) ita *ejuſdem ſolius Dei eſt ipſam ex nihilo condere*.

COROLLARIUM IV.

§. 95. Igitur, *quemadmodum mentis humanae vita per actionem agentis creati extingui nequit* (§. 73.) *ita etiam per cujuslibet agentis virtutem nequit vita ipſa donari*.

COROLLARIUM V.

§. 96. Ergo *nullum agens creatum poteſt quidquam eorum efficere, quae nonniſi per annihilationem perimi valent*.

Corollarium VI.

§. 97. Ergo *ſubſtantia ſimplex fieri ab agente creato minime poteſt*. Productio namque hujuſmodi nonniſi per creationem fieri poteſt (Part. I. §. 312.); tum etiam quae ſimplicia ſunt nonniſi per annihilationem interire valent (Part. I. §. 314.). Enimvero adeo ſolius Dei proprium eſt creandi virtutem exſerere, ut merito ita S. Auguſtinus doceat: *Neque enim fas eſt ullius naturae quamlibet minimae mortaliſque, creatorem, niſi Deum, credere ac dicere* (a).

Propositio VI.

Mens humana neque Deus eſt, tanquam ipſius particula corpori organico copulata; neque ſubſtantia aut anima mundi Spinoziſtica eſt, tanquam ejuſdem ſubſtantiae modificatio.

§. 98. *Demonſtratio I. Part. I.* Si mens humana Deus eſſet, tanquam ipſius particula, Deus eſſet in partes integrales reipſa diviſibilis: Atqui hoc menti humanae repugnare viſum fuit (§. 31.) Ergo multò magis, quum ſermo eſt de Deo, abſurdum atque falſum videri debet. Ergo &c.

(a) Lib. XII. *De Civitat. Dei*, Cap. XXIV.

Demonſtratio II. Part. I. Si mens humana divinae ſubſtantiae eſſet particula, ipſa in partes integrales diviſibilis eſſet reipſa, caeteriſque corporum affectionibus donaretur: Atqui hujuſmodi Corollarium dictis adverſatur (§. 31. §. 33. §. 34.) Ergo &c.

Prob. maj. Quum mens humana Dei particula adſtruitur, ejuſdem quoque eſſe naturae cum Deo dici debet: Atqui Dei natura, quum in tot particulas, quot ſunt mentes humanae diſcerpi poſſe dicatur, in partes integrales fit reipſa diviſibilis: Ergo & mens humana ejuſdem diviſibilis naturae fieri debet: Ergo ſi mens humana divinae ſubſtantiae eſſet particula &c.

Demonſtratio III. Part. II. Quae namque fingitur univerſi ſubſtantia ſive anima, vel ſubſtantia ſpiritalis eſt, vel corporea. Si ſpiritalis: Ergo, quum in partes nequeat illa ſecari (§. 31.) humana mens una illius particula eſſe non poteſt. Si corporea: Ergo repugnat prorſus, ut humana mens, quippe quae ſubſtantia ſpiritalis eſt (§. 49.), ex illa, veluti pars ex toto avulſa dicatur. Utcumque ergo res ſit de anima univerſi, certiſſimum manet, animam

mam rationalem, ſive humanam mentem pro una illius particula haberi non poſſe.

PROPOSITIO VII.

Mens humana ex parentibus in filios per traducem non propagatur.

(§. 99. *Demonſtratio I.* Mens humana corporea non eſt (§. 36.) Atqui ſi ea ipſa per traducem propagetur fieri nequit, quin corporea habeatur: Ergo mens humana &c.

Prob. min. Mentem humanam ex parentibus in filios per traducem propagari nihil eſt aliud, quam animam filii eſſe unam illius animae partem, quae in Patre exiſtit (§. 89.) Sed hoc ipſum evincit, eandem eſſe corpoream: Ergo ſi ea ipſa per traducem &c.

Prob. min. Quum per traducem mens humana propagatur per plures ipſius animae particulas propagatur: Sed quod ita propagatur iis gaudet affectionibus, quae corpori tantum competunt: Etenim ut Vir Clar. teſtatur (a) *ſecari, ſeu dividi, augeri, vel minui pro ſubſtantia ſua ſpiritus nequit; non enim poteſt eſſe major vel melior*. Ergo &c.

De-

(a) Auctor. Lib. *De Spiritu & Anima* Cap. XL.

Demonſtratio II. Soritica methodo: Mens humana ſubſtantia ſimplex eſt (§. 32.) Quae ſimplex eſt haud eſt entitative extenſa (§. 33.) Quae entitative extenſa non eſt, nullam habet nec habere poteſt ſeu magnitudinem, ſeu figuram (§. 34.) Quae ita ſe habet inter corporea neutiquam recenſeri debet (§. 36.): Mens humana, quae inter ſubſtantias corporeas neutiquam recenſeri debet, ſubſtantia ſpiritalis eſt (§. 49.) Quae ſpiritalis eſt ſubſtantia, tota propagari debet, non vero per plures partes ex Patre in filium transfundi; repugnat enim quod ſimplex eſt non ſolum partibus integralibus conſtare, verum multo amplius per eaſdem integrales partes propagari: Ergo mens humana ex parentibus in filios per traducem non propagatur.

S C H O L I O N.

§. 100. Praeter multa, quae adverſus tam abſurdam opinionem congeri poſſent validiſſima argumenta, illud potiſſimum haud eſſe ſilentio praetereundum mihi quidem videtur ex ipſa naturali ratione petitum, quod ita exhibere mihi lubet. Quum

mens

mens humana per traducem propagari ac dividi quodammodo aſtruitur, nemo ſane qui ita rem ſe abere tuetur refragari valet; ipſam in partes diviſam ex Parentibus in filios diffundi perinde ac liquidum aliquod ex vaſe uno in aliud effundi ſolet. Porro liquidum quodpiam ita ex uno in aliud vas decidere intuemur, atque ſentimus, ut ſi illud ſit ſapidum, pars ejuſdem ſapida transfundatur; ſi autem inſipidum, nullius ſaporis pars eadem defluat. Si itaque anima filii ob id naſcitur; quod ex generante Patre aliquid ipſius animae in filii corpus decidat, illico conſequitur, ex Patre improbo aut fatuo, nonniſi improbum fatuumque filium poſſe generari; contra vero ex Patre probo aut ſapiente nonniſi probum ſapientemque filium poſſe ac debere produci: pars animae namque ex tota ipſius animae maſſa quodammodo deciſa, nonniſi ejuſdem eſſe naturae cum illa ſana mente concipitur. Hoc autem quam falſum ſit, neſcit nemo.

COROLLARIUM I.

§. 101. Ergo *ſi mens humana per traducem non propagatur, ipſa intrinſecus ſub-*

X *ſtan-*

ſtantia ingenerabilis eſt. Quum enim mens humana ſubſtantia ſit ſimplex (§. 33.) ipſa proinde nonniſi per creationem produci valet (§. 93.)

COROLLARIUM II.

§. 102. Ergo rationalis anima nonniſi ab eo produci poteſt, qui quum annihilare, tum etiam ex nihilo illam condere valet (§. 94.). Hinc S. Auguſtinus, *unum eſt*, inquit, *e duobus: Si* (anima) *ex traduce non eſt, ex nihilo eſt, ne ita ſit a Deo, ut naturae ſit Dei, quod omnino ſacrilegum eſt credere* (a).

COROLLARIUM III.

§. 103. Ergo rationalis animae origo caeleſtis eſt; ſive ut olim cecinit Lucretius (b).

...... *caeleſti ſumus omnes ſemine oriundi;*
Omnibus ille idem pater eſt

SCHOLION I.

§. 104. Tametſi caeleſtis mentis humanae origo ſit atque principium, ejus tamen exi-

(a) Lib. I. *De anima & ejus origine* num. 24. alias Cap. XV.
(b) Lib. II. *De rerum natura* v. 991.

exiſtentia ſuo corpore, cui copulatur, antiquior haudquaquam dici poteſt. Enimvero ſi animae quotquot ſunt rationales priores eſſent corporibus, talis quoque fuiſſet Protoparentis Adae anima; omnium quippe animarum eadem prorſus ratio eſſe debet. At vero, quemadmodum ex ſacris conſtat litteris (a), ita Deus formavit hominem, Adae ſcilicet corpus, de limo terrae, & inſpiravit in faciem ejus, nempe formati corporis, ſpiraculum vitae, hoc eſt animam rationalem, & factus eſt homo in animam viventem, ut ipſa tamen rationalis anima, niſi vel prius formato illius corpore, vel ſimul ac ipſum conditum fuit, nunquam extiterit. Ita quotquot ex Patribus atque Theologis eum Geneſeos locum explicarunt unanimi ſententia docuiſſe viſi ſunt. Inter hoſce ſapientiſſimos Interpretes potiſſimum eminent SS. Gregorius Nyſſenus (b) atque Hieronymus (c), qui ſcite admodum atque profunde argumentantur. Hiſce etiam addere lubet, gratis omnino fingi, mentem humanam corpore eſſe vetu-

(a) *Geneſeos* Cap. II. verſ. 7.
(b) Lib *De Opificio hominis* Cap. XXIX.
(c) Epiſt. LXI.

tuſtiorem, eamque quum prius exiſteret cogitaſſe, ſi eorum, quae ipſa tunc geſſit, nulla prorſus nobis memoria perſeveret (neque enim ulla datur hujuſce praeexiſtentiae ratio naturalis, vel tam certa revelatio, cui nefas ſit refragari). Nemo eſt autem, qui aliquid vel minimum eorum, quae fecerit illius mens, antequam in corpus dilaberetur, memoria teneat. *Ego certe*, ut cum Tullio loquar, *non commemini, antequam ſum natus, me miſerum*, neque, ſi mavis, beatum. *Tu ſi meliore memoria es, velim ſcire, ecquid de te recordere* (a)? Neque aliter quam pro delirio habendum puto, quod de ſeipſo dixerat olim Pythagoras; ſe nimirum meminiſſe eorum omnium, quae ſibi contigerant, antequam corpori mens ejus conjungeretur (b).

S C H O L I O N II.

§. 105. Ita praeterea humana mens ſua origine caeleſtis dicenda eſt, ut tamen, quemadmodum corpore prior non eſt, ſic a Deo corpori conjuncta non fuit ac in illud veluti in carcerem detruſa, ut eorum deli-

(a) Lib. I. QQ. Tuſcul. Cap. VI.
(b) Laertius Lib. VIII. *In vita Pythagorae*.

delictorum poenas lueret, quae antea, a corporibus ſcilicet ſolutae, ſicuti Origenes ſomniaverat, ipſae patraverant. Si namque antiquiores non fuere corporibus, nihil proinde gefferunt mali, propter quod meruerint, ut corporeo carceri ſive ergaſtulo conjungerentur. Et ſane, admitti nequit hujuſmodi Origeniſtarum delirium, quin aeque permittamus, graviora ſcelera ac turpiſſima facinora haud juſte a Principibus & Rerumpublicarum Rectoribus mulctari atque puniri. Ut enim egregie argumentatur S. Cyrillus Alexandrinus (a), *Si ante corpus exiſtens anima peccavit, & idcirco innexa eſt carni, quam ob cauſam lex graviora quidem peccata morte plecti, innocentem vero vivere permittit? Praeſtaret quippe permittere, turpiſſimorum criminum reos diu in corporibus haerere, ut hoc pacto gravius punirentur; innocentes vero corporibus exſolvi, ſi, poenae loco, incluſae ſunt in corporibus animae. Sed contra, morte quidem punitur homicida; juſtus autem corpore nihil patitur. Non eſt igitur, ſupplicii loco, incluſa corpori anima.* Id profecto tam lucu-

X 3 len-

(a) Lib. I. *In Joannem* Cap. IX.

lenter unicuique ſobriae ſanaeque mentis patere debet, ut nihil dubitationis debeat ſupereſſe.

SCHOLION III.

§. 106. Haud eſt item praetermittenda animarum praeexiſtentium in organicis corpuſculis, ſeu in ovis femineis deliteſcentium brevis aliqua confutatio; quemadmodum a Volfio traditum fuiſſe ſuperius diximus (§. 90.) Enimvero vel illud corpuſculum organicum, ſive humani corporis machinula, quae in ovulo latet femineo, vitae motibus praedita eſt; adeo nempe, ut totum ex ea & ex anima rationali conflatum, vitales motus exerceat; vel illis, inſtar mortui corporis, penitus eſt deſtitutum. Si hiſce motibus caret, nullumque in eo habetur vitae ſignum; ergo organicum illud corpuſculum rationali anima praeditum non eſt. Sicuti namque ea lex eſt naturae, ut anima rationalis tunc corpus relinquat, quum, ut Clar. Vir animadvertit (a), ad vitae munera obeunda eſt prorſus ineptum; ita videtur eadem lex poſtulare, ut organico corpuſculo haud copule-

X tur

(a) Auctor Lib. *De Spiritu & Anima* Cap. XV.

tur mens, niſi illud ſit idoneum, ut, ſtatim ac illi juncta eſt anima, vitae functiones exerceat. Si vero illa machinula humano ſpiritu animata, vitaliter operatur; ergo ad hominem concipiendum haudquaquam requiritur, ut ovum femineum a maſculini ſeminis aura faecundum fiat; ſed femina optime poterit, quin viro nubat, concipere. Eorum quippe omnium ſententia, qui animalia ex ovis oriri arbitrantur, faecundatio ovi feminei, ſive hominis conceptio, ex eo fit, quod ſubtilior vividiorque virilis geniturae portio femineum ovulum ingreſſa, primis faetus ſtaminibus, ſive humani corporis machinulae in ovo deliteſcenti, motum communicet, illius partes evolvat, efficiatque, ut ad eos peragendos motus, in quibus vita conſiſtit, proxime aptae expeditaeque reddantur. Huic argumentationi haec altera ſuppetias non exiguas ferre videtur. Vel enim in omnibus feminis exiſtunt ova rationali anima informata; vel non, ſed in aliquibus tantum; in iis nempe, ex quibus homines certo ſunt orituri. Si in omnibus; ergo falſum eſt, eorum tantum hominum, qui

certo naſcituri ſunt, conditas animas a Deo fuiſſe; non enim ex ſingulis feminis homines, ut patet, naſcuntur. Si vero non in omnibus feminis animata ova latent, ſed in iis tantum, ex quibus homines naſcituri ſunt, & modo naſcuntur: Ergo in feminis, quae viri neſciae vita decedunt, fruſtra natura molita eſt aut ea ovula, ſi qua in ipſis ſunt, rationali anima deſtituta, aut organa illa caſſo penitus opere fabricata eſt, quae ad eum finem in illis elaborata dicuntur, ut gignendorum foetuum ovula complectantur, humanique generis propagationi inſerviant. Hac demum opinione poſita, non poſſet ſingulis feminis virginitas impune ſuaderi; minuſque recte egiſſet quum Chriſtus Dominus virginitatem commendando (a); tum Apoſtolus optando, ut omnes, nullo perſonarum diſcrimine habito, caelibatum, quemadmodum ipſe fecerat, perpetuo ſervarent (b). Suaderi porro indiſcriminatim omnibus feminis tunc non poſſet virginitas, quin verum ſit, optionem in nobis eſſe, ut tot

(a) Matth. 19. verſ. 12.
(b) Epiſt. I. *ad Corinth.* Cap. VII. verſ. 7.

tot pereant animae, quot animata ovula illae compleċtuntur. Eandem quoque ob cauſam nulli feminae liceret ſe perpetuo virginitatis voto obſtringere, eamque Deo, quoad vixerit, devovere, niſi certo ei primo conſtiterit, ovula animata ſuo in ovario aut ſinu ab ſe minime contineri. Praetereo, feminas omnes, hac Volfiana admiſſa hypotheſi, eo niti debere, ut plures, quoad poſſet fieri, partus emittant; ne qua ſcilicet anima, earum cauſa pereat; ac propterea polygamiam viris prohiberi ſine piaculo ab humana poteſtate non poſſe. Haec igitur quum non minus falſa, quam abſurdiſſima ſint, relinquitur Volfianam opinionem de animarum in ovulis praeexiſtentia dignam eſſe cenſorio ſtygmate, penituſque a Viro non philoſopho ſolum, verum etiam Catholico rejiciendam.

PROPOSITIO VIII.

Anima rationalis, ſive mens humana repetita toties creatione producitur, quoties organicum humani foetus corpuſculum quodlibet ad ſufficientem illam partium evolutionem perventum fuerit quae ad vitae munia recte obeunda neceſſario poſtulatur.

§. 107.

§. 107. *Demonſtratio I.* Mens humana ita reipſa producitur, ſi nec Dei ſit ſubſtantia in particulas diviſa; ſi e caelo aut ſyderibus ortum non ducat; ſi neque per traducem propagetur; ſi item humanis corporibus prior non exiſtat in ovis femineis deliteſcens: Atqui ex nullo enumeratorum principiorum ortum ſive originem trahit mens humana (§. 98. §. 99. §. 104. §. 105. §. 106.) Ergo &c.

Probat. maj. Rationalis anima nonniſi ab eo produci valet, corporique conjungi, qui quum annihilare, tum etiam ex nihilo ipſam condere poteſt (§. 102.): Ergo quum ex nullo enumeratorum principiorum mens humana ortum trahat, neque aliud afferri medium poſſit, quo ipſa ad exiſtentiam perducatur, conſequitur, tunc ſolum a Deo creari & corpori infundi, quum organicum humani faetus corpuſculum quodlibet ad ſufficientem illam partium evolutionem perventum fuerit, quae ad vitae munia recte obeunda neceſſario poſtulatur.

Demonſtratio II. Soritica methodo: Mens humana ſubſtantia ſpiritalis eſt (§. 50.)

Quae

Quae ſubſtantia ſpiritalis eſt nonniſi per creationem fieri poteſt (§. 93.) Quae nonniſi per creationem fieri poteſt ſubſtantia intrinſecus ingenerabilis eſt (§. 91.) Quae ingenerabilis eſt, per traducem non propagatur (§. 101.) Quae per traducem non propagatur caeleſtem habet originem (§. 103.) Quae caeleſtem habet originem, neque Dei ſubſtantiae particula eſt (§. 98.) neque ipſo corpore, cui copulatur, antiquior eſt (§. 104. §. 106.) Ergo mens humana repetita toties creatione producitur, quoties organicum humani foetus corpuſculum quodlibet ad ſufficientem illam partium evolutionem perventum fuerit, quae ad vitae munia &c.

PSYCHOLOGIA.

CAPUT II.

De admirando humanae mentis cum corpore commercio.

SI tanta demonſtrationum perſpicuitate & evidentia, quanta vel in rebus metaphyſicis vel phyſicis obtineri valet, admirandum plane humanae mentis cum corpore commercium mihi perinde fas eſſet explicare, hoc opus ſane majori alacritate obeundum ſuſciperem quam ipſa ſui obſcuritate & multiplici opinionum varietate anceps atque animo ferme ſuſpenſus praeſtare reipſa cogar. Enimvero tunc adverſus Materialiſtas tum apertius, tum invictiſſime de mentis humanae ſpiritalitate totum negotium confectum fuiſſe certiſſime arbitrarer. Attamen (proh dolor!) quam abſtruſa ſit unio mentis humanae cum

cum corpore, ejuſque inveſtigatio quantum philoſophicas vires excedat, non eſt cur longo ſermone perſequar. Id enim magis videtur perſpicuum, quam ut verbis exprimi poſſit. *Mihi quidem naturam animi intuenti*, inquit Tullius, *multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obſcurior, qualis animus in corpore ſit, tanquam alienae domui, quam qualis, quum exierit, & in liberum caelum, quaſi domum ſuam venerit* (a). Tametſi vero rerum tractandarum difficultas magna ſit, & inquiſitio admodum involuta, ſancte primum cum Auguſtino fatebor hac potiſſimum in re, *non erubeſcendum eſſe homini, confiteri ſe neſcire quod neſcit, ne, dum ſe ſcire mentitur, nunquam ſcire mereatur* (b); deinde, poſteaquam plurimorum Philoſophorum circa hujuſmodi commercium placita rejecero, tanquam ad illud rite explicandum minus idonea, aliquid certi attingere quoquomodo conabor.

SE-

(a) Lib. I. QQ. Tuſculan. Cap. XXII.
(b) Lib. X. *de Trinitate* num. 8. alias Cap. VI.

SECTIO I.

De occaſionaliſtarum ſyſtemate in commercio mentis humanae cum corpore conciliando.

QUum ex receptiſſimo Analyticae Artis praecepto in inquirenda aliqua ſuper re veritate indubitatum ſit, nos a facilioribus ad difficiliora ſenſim debere progredi, illud proinde a nobis primo eſt inveſtigandum, quod ab occaſionaliſtis traditum legimus, ut quid deinde de reliquis ſyſtematibus ſentiendum ſit aperiamus. Potiſſimum vero nonnulla ſtatuere in hujuſce ſectionis limine neceſſe eſſe arbitror, quae omnibus diverſimode hac in diſceptatione commercium explicantibus debent eſſe communia, quorum ſit praeſertim ipſius Commercii definitio, ut quid illud ſit, de quo controverſia eſt intelligatur.

DEFINITIO I.

§. 108. *Commercium mentis cum corpore dicitur mirabilis ille conſenſus, quem habent certae mentis operationes cum certis quibuſdam corporis motibus; & viciſſim certi motus corporis cum certis mentis affe-*

ctio-

ctionibus, ratione cujus mens aliquando corporis, aliquando vero corpus mentis velut interpres exiſtit.

S C H O L I O N.

§. 109. Nemo eſt, qui huic de mentis cum corpore harmonia doctrinae refragetur. In eo potius aeterna inter philoſophos quaeſtio erit, qua ratione mens corpori copuletur. Peripatetici eſſe animam putant *formam ſubſtantialem corporis*, quae totum ita permeet corpus, ut tota in toto corpore, & tota perinde in qualibet ipſius corporis parte dominetur. Plato vero (a) mentem quidem corpori, ut nautam navi preeſſe eoque uti veluti inſtrumento eſt opinatus; energiam vero, ſeu vitam & ſenſum corporis ab alia eſſe ſubſtantia quadam mediae naturae ibidem docere non dubitavit. Cui opinioni faviſſe viſus eſt D. Auguſtinus (b), & noſtris temporibus Gaſſendus, Cudworthus, & Joannes Clericus ſuffragati ſunt (c). Mallebranchius item longius eſt praetergreſſus; nam

(a) *In Alcibiade, & in Phaedone*
(b) *De quantit. animae* Cap. XXXI. & XXXII.
(c) Vide Cleric. *Biblioth.* Tom. II. pag. 213.

nam quod non negabat Plato, iſte diſerte affirmavit nullo modo mentem in corpus agere, ſed ex occaſione cogitationum animi Deum agitare corpus, quemadmodum ex occaſione motionum corporis animum modificari teſtabatur. Ipſe etiam Renatus Carteſius, qui ab omnibus Philoſophis diſſentire in deliciis quodammodo ſemper habuit, in eo tamen Platoni aſſentitur quidem; attamen animam ſoli preeſſe cerebro, indeque ſpirituum animalium ope motus in corpore excitari & cieri autumavit. Leibnitius demum atque Wolfius in eo cum Mallebranchio ejuſque aſſeclis conveniunt, nullum reipſa mentem inter & corpus commercium ſed apparens duntaxat intercedere afferant; verum ut apparens hujuſmodi explicent commercium, non, ut illi ad Deum confugiunt, ſed ex ipſa animi & corporis natura ſecundum *praeſtabilitam*, ut ipſi ajunt, *harmoniam* explicare conantur. Quarum profecto opinionum quae veroſimilior ſit, difficile eſt hic paucis definire. Illud nihilominus extra omnem dubitationem poſitum eſt, quod duobus canonibus a graviſſimis Philoſo-

loſophis animadverſum eſt atque conſtitutum, quorum ſit

DEFINITIO II.

§. 110. *Si res extra nos poſitae eas corporis noſtri partes, quas ſenſuum organa dicimus, ita afficiant, ut certa in illis motio fiat, eaque ad cerebrum uſque propagetur, rerum earundem ſtatim in anima notio excitatur.* Conſtat enim, neque affici tactum a calore, neque viſum poſſe a luce, coloreque immutari, quin mens calorem, atque lucem percipiat, ſeu quin ea in anima excitetur affectio, quam lucis coloris, caloriſque *ſenſationem*, ſive *notionem*, ſive *ideam*, appellamus.

SCHOLION I.

§. 111. Senſibilium rerum notiones, quae excitantur in anima, ita iis motibus alligatae ſunt, qui a rebus ipſis fiunt in corpore, ut eodem ferme temporis momento, quo in corpore motus illi peraguntur, notiones ipſae in mente excitentur. Manifeſtum eſt enim, ne minimam quidem temporis morulam diſcerni a nobis poſſe inter mutationem factam in tactus organo a calore, & ſenſationem, ſeu

notionem caloris, quae in anima mutationem ipſam conſequitur.

SCHOLION II.

§. 112. Motiones univerſas, quae in totam corporis noſtri machinam vim exercent ſuam, quibuſque ſenſationes, ſeu notiones in mente reſpondent in duo genera recte partiri poſſumus. Quaedam namque *ingenitae* dicuntur ac *naturales*, qualis aequabilis illa motio ſe habet, qua conſtat vita hominis plaſtica & ſenſitiva, quae intelligi alia ratione non poteſt, niſi veluti continuata, & aequabiliter diffuſa toto corpore energia, qua agitantur harmonice corporis fluida, tum etiam cor & arteriarum vaſa permoventur, aliaeque partes; quaedam vero *ſuperadventitiae* appellantur, velut motiones, quae aequabili illi energiae & vitae accedunt; in morbis praeſertim, in affectionibus, in voluptatibus, atque doloribus; quum videlicet peculiari ratione totum corpus immutari ſentimus.

COROLLARIUM I.

§. 113. Ea igitur inter mentem & corpus exiſtit harmonia, eaque lex, iſque conſenſus, *ut poſitis certis quibuſdam motibus, certae rerum notiones in anima habeantur.*

COROLLARIUM II.

§. 114. Itaque impedire minime poſſumus, ne ſufficienter immutato corporis organo a re extra nos poſita, notio ipſius rei in mente, niſi alio tunc vehementer diſtracta ſit, excitetur. Neque enim fieri poteſt *ex. gr.* ut hominem non percipiamus, quum ſanos recteque valentes oculos in hominem ipſi convertimus.

COROLLARIUM III.

§. 115. Ea inſuper lege proinde rerum ſenſibilium notiones, quae excitantur in mente, iis debent reſpondere motionibus, quae ab ipſis rebus in corpore fiunt, ut clariores obſcurioreſve illae ſint, prout magis minuſve perfecti ſunt motus ipſi. Conſtat enim, clariorem hominis notionem in mente fieri, vividioremque ſenſum, quo homo ipſe coram nobis exiſtens lumine validiori perfunditur, atque adeo quo fortius viſionis organum movet; contra vero notionem illam in nobis perfici obſcuriorem, quo lumen debilius eſt, leviuſque propterea reticularis oculi membrana ab eodem lumine impellitur.

Corollarium IV.

§. 116. Eo demum ordine, quo rerum ſenſibilium veſtigia, ex organorum ſenſoriorum immutatione primum in cerebro facta, tum in illo relicta, iterum in ipſo excitantur, earundem quoque rerum ideae iterum in mente emergunt. Perturbate nimirum aut vehementer, ut in ebriis atque delirantibus; aut, quemadmodum in iis qui violenti morbo aut paſſionibus concutiuntur, excitantur in anima rerum notiones, ſi abſque ordine, & tumultuarie, aut ſi vivide admodum motiones, quibus illae reſpondent in cerebro iterum fiant; contra vero aequabiliter conſtantique ordine, ſi cum lege ac aequabili ordine; ut in iis accidit, qui ſui plane compotes ſunt, corporeque bene valentes ſe habent motus illi in cerebro exſuſcitentur iterum, ac perficiantur.

Definitio III.

§. 117. Mens noſtra ita corpori (atque in hoc alter Commercii canon conſiſtit), cui ineffabiliter copulata eſt, dominatur, *ut quaedam ipſius corporis partes moveantur ad illius nutum; tandiu perſeverent in motu*,

tu, quandiu ipſa vult; atque a motu ceſſent quamprimum ipſi libuerit. Nemo eſt profecto, qui hoc mirabile phaenomenon, & ſi quid aliud noſtra conſideratione digniſſimum eſt, in ſemetipſo, quandocumque voluerit, non experiatur. *Manus & pedes* (ita rem hanc expreſſit S. Auguſtinus) *movemus, quum volumus, ad ea, quae his membris agenda ſunt, ſine ullo reniſu, tanta facilitate, quanta & in nobis, & in aliis videmus, maxime in artificibus quorumcunque operum corporalium, ubi ad exercendam infirmiorem, tardioremque naturam agilior acceſſit induſtria* (a).

S C H O L I O N I.

§. 118. Tametſi mens noſtra dominari dicatur in corpus, ut ejus voluntati immutationes in eodem corpore reſpondeant; attamen non idcirco putandum eſt univerſas ipſius appetitiones ejus perinde imperio & libertati ſubjacere. Id porro in iis affectionibus liquido apparet, quae repente hominem aggrediuntur, omnemque ſuae libertatis uſum praevertunt; ut quum ex pulcherrimi objecti perceptione aut contem-

(a) Lib. XIV. *de Civitate Dei*, Cap. XXIII. n. 2.

platione continuo quidam amoris fervor exurgit in corpore, juxta illud

Vulnus alit venis, & caeco carpitur igni.

Ex perceptione quoque injuriae illatae repente exiſtit ira, quae non ut amor ſenſim, ſed ſtatim ſanguinem rarefacit, atque diffundit; unde ardere dicuntur irati. In diſcriminis item proximi conſpectu gelidus excurrit per artus & oſſa tremor: Quae omnia, ut corpus afficiunt, ita nemo eſt, qui ex naturae ipſius humanae neceſſitate in ſemetipſo fieri non experiatur.

SCHOLION II.

§. 119. Quamquam ignoret mens qua ratione corpus ſeu imperatos, ſeu neceſſarios motus exequatur, tanta tamen celeritate, ſi nihil vitii adſit in corpore, motus quos anima imperat corpus ipſum exequitur, tamque cito ad animae nutum motiones reſpondent in membris, ut inter volitionem ſeu liberam, ſeu neceſſariam & motiones ipſas, nihil prorſus temporis diſcerni valeat. Non enim diſtincte ſcimus, quae movendae ſint partes, ſeu quinam

nervi atque muſculi, & qua lege, ut hinc moveatur lingua & formetur vox; quaeque partes, & quomodo, ut ita agantur pedes, quemadmodum imperata ambulatio poſtulat debeant impelli.

COROLLARIUM I.

§. 120. Quemadmodum ergo poſitis quibuſdam motibus in corpore certae excitantur affectiones in mente (§. 113.) ita viciſſim poſitis certis appetitionibus in anima, determinati quidam motus in corpore conſequuntur.

COROLLARIUM II.

§. 121. Anima igitur atque corpus ex vi ineffabilis illius unionis, qua inter ſe mutuo copulata ſunt, *ſe habent perinde prorſus ac ſi corpus reipſa ageret in mente, & viciſſim mens in corpore;* id enim poſtulat ipſius commercii ſuperius definita natura (§. 108.)

COROLLARIUM III.

§. 122. In omni ergo ſyſtemate de commercio humanae mentis cum corpore id unum ſtatuendum eſt, certoque tenendum, *rerum ſenſibilium notiones eo modo oriri in anima; atque ex adverſo motus ſpontaneos*

ſive neceſſarios eo modo in corpore fieri, ac ſi reipſa corpus in mentem, & mens in corpus influeret.

S C H O L I O N.

§. 123. Satis a nobis factum puto, quum extremis duobus hiſce Corollariis ex ſuperius dictis id ſaltem in praeſentiarum intulerimus, *perinde ſe habere mentem ad corpus, & corpus ad mentem ac ſi utrumque ad invicem influxum ſibi praeberet.* Neque enim hoc indubitatum adhuc & compertum haberi debet donec adverſus Carteſium, Mallebranchium, omneſque Occaſionaliſtas; tum adverſus Leibnitium, Volfium, omnes Harmoniſtas conſtiterit, quaecumque ab ipſis ad explicandum commercium excogitata ſunt, inepta eſſe prorſus & viro philoſopho indigna. Hiſce enim abſolutis facile tunc demonſtrari poſſe confido, animam & corpus verum realemque influxum ſibi invicem communicare.

P R O P O S I T I O IX.

Phaenomenon mutui commercii, quod mentem inter atque corpus verſatur, nulla ratione per cauſarum occaſionalium ſyſtema explicari poteſt.

§. 124.

§. 124. *Demonſtratio:* Quodcumque naturae phaenomenon nulla ratione per illud ſyſtema explicari poteſt, *quod* incertum eſt, *quod* intimae conſcientiae repugnat, *quod* graviſſimis oppugnatur argumentis, *quod* demum cum Theologia Chriſtiana nullatenus componitur: Atqui hujuſmodi eſt ſyſtema cauſarum occaſionalium: Ergo phaenomenon mutui commercii &c.

Probat. min. quoad I. Part. Illud ſyſtema incertum eſt, quod, quemadmodum ſuae veritatis rationem ſufficientem non habet, ita etiam reliqua ſibi oppoſita ſyſtemata falſa eſſe non demonſtrat: atqui cauſarum occaſionalium ſyſtema ſuae veritatis nec rationem ſufficientem habet, nec oſtendit reliqua ſibi oppoſita ſyſtemata falſa eſſe: Ergo &c.

Prob. min. Quemadmodum ſyſtematis magnetici veritas per ſufficientem rationem haudquaquam a Philoſopho exhiberetur, ſi iſte diceret, magnetem ferrum trahere, atque acum magneticam polum conſtanti lege reſpicere idcirco contingere, quod nimirum Deus ad magnetis praeſen-

tiam

tiam motum in ferro producat, efficiatque, ut magnetica acus, niſi impediatur, ad polum perpetuo dirigatur; ita cauſarum occaſionalium ſyſtematis veritas per rationem ſufficientem nequaquam redditur, ſi dicatur, mentem inter atque corpus commercium propterea intercedere, quia Deus ideam rei menti imprimit, quamprimum res ipſa ſenſorium afficit; & motum corpori communicat ſtatim ac vult mens, ut motus ille in corpore peragatur. Quod praeterea ſyſtema ſuae veritatis rationem ſufficientem non praebet, multo minus caeterorum ſibi oppoſitorum ſyſtematum falſitatem valet oſtendere. Ergo &c.

SCHOLION.

§. 125. Nemo eſt certe, quem lateat, Deum eſſe, *a quo*, ut ait S. Auguſtinus (a), *eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo; a quo eſt menſura, numerus, & pondus; a quo eſt, quidquid naturaliter eſt.* At quis non videat, neminem philoſophiae ſectatorem, ubi difficultatibus opprimitur, ad Deum naturae Auctorem poſſe confugere, quin philoſophi munus deſerat, & quod

(a) Lib. V. *de Civitate Dei* Cap: XI.

& quod incertum ſemper remanet, ſectari cogatur. *Magna ſtultitia eſt*, inquit Tullius, *earum rerum Deos facere effectores, cauſas rerum non quaerere* (a). *Quidquid enim oritur*, pergit alibi dicere idem Tullius (b), *qualecumque eſt, cauſam habeat a natura neceſſe eſt;* unde Stoicos redarguit Vir ſummus, quod dicerent, *nihil fieri ſine Deo, nec ullam vim eſſe naturae, ut ſui diſſimilia poſſet effingere*. Certum eſt quippe mutui commercii phaenomenon a Deo tandem eſſe repetendum Auctore. Quis tamen recte ſapiens veram ſe attigiſſe rationem ſibi blandiri poterit, cur mens agat in corpus, & corpus in mentem, dicendo, omnia illa a Deo fieri, neque occultiorem eorum rationem inveſtigando? Non equidem qui ita philoſophatur falli poteſt: At non propterea hujuſmodi philoſophia ſit doctior; quemadmodum non aeque fallitur, qui vim magneticam ſibi explicare proponens, in Deum univerſa refundit, qui ad magnetis praeſentiam motum in ferro producat. Tantundem nihilomi-

(a) *De Divinat.* Lib. II. Cap. XXVI.
(b) *Ibidem* Cap. XXVIII.

lominus & ruſticus quivis reſpondere poſſet; nedum philoſophus. Verum quemadmodum de proxima virtutis magneticae cauſa incertus haereret, ita eadem incertitudine laborare neceſſe eſt, qui ad explanandum mutui commercii phaenomenon ad conſtantem quandam legem confugiat, vi cujus Deus modificet animam in gratiam corporis, ut Clar. teſtatur Mallebranchius (a), & corpus in gratiam animae; ipſe enim plus nihil de hac harmonia cognoſcit, quam in ſemetipſo continuo experiatur.

Probat. min. quoad II. Part. Illud ſyſtema intimo ſenſui & conſcientiae adverſatur, quod nonnulla doceat, quae mens ipſa, niſi ſibi vim facere velit, intelligere abhorret: Atqui cauſarum occaſionalium ſyſtema eſt hujuſmodi: Ergo intimae conſcientiae repugnat.

Prob. min. Cauſarum occaſionalium ſyſtema in explicando mentis cum corpore commercio, humanam mentem intrinſeca agendi virtute efficit plane deſtitutam: Hoc autem

(a) Lib. VI. *De inquirenda veritate*, Part. II. Capit. III.

autem intimo ſenſui contrarium eſt prorſus, idemque, niſi mens ſibi vim facere debet, intelligere abhorret: Ergo &c.

Prob. maj. Si occaſione motuum quorundam in corpore aliqua in mente excitatur a Deo idea, & viciſſim occaſione quorundam motuum in anima modificatur a Deo corpus, jam animus, non vi ſua, ſed a Deo moveri ſe ſentiet: Atqui hoc nihil eſt aliud, quam humanam mentem efficere intrinſeca agendi virtute plane deſtitutam; ut per ſe ſtatim liquet: Ergo &c.

S C H O L I O N.

§. 126. Non minus profecto per intimum ſenſum, nos cogitare, exiſtere, triſtari, dolere, aliiſque motibus affici conſcii ſumus, quam quum judicamus, ratiocinamur, aut aliquid volumus, certi ſumus, nos agere, hoc eſt, activam nobis ineſſe vim, qua mens noſtra ſeipſam excitet, atque ad judicandum, ratiocinandum, unumque alteri praeferendum ſe impellat, certoque modo determinet. *Sentit animus ſe moveri*, inquit eximius Orator atque Philoſophus Tullius (a); *quod quum ſentit, illud una ſentit*,

(a) Lib. I. QQ. Tuſculan. Cap. XXIII.

tit, *ſe vi ſua*, *non aliena moveri*. Hanc tamen intimam intrinſecae virtutis noſtrae activae conſcientiam e medio tollunt quicumque occaſionaliſtarum ſyſtemate ad commercium explanandum uti volunt.

Probat. min. quoad III. Part. Illud ſyſtema graviſſimis reipſa oppugnatur argumentis, ſi nullam in homine libertatem ex eodem ſupereſſe conſequatur; ſi eo ipſo poſito, Deum animam eſſe mundanam evinci poſſit; ſi denique univerſa, quae Arnobius aliique graviſſimi Philoſophi adverſus Platonem de animarum origine invicte protulerunt eidem ſyſtemati adverſa accommodari debeant. Atqui tria haec graviſſima ex Mallebranchiano ſyſtemate profluunt: Ergo graviſſimis oppugnatur argumentis.

SCHOLION I.

§. 127. Primum inconveniens, quod Mallebranchianum ſyſtema oppugnare atque evertere apparet, adeo validum cenſeo, ut niſi luculentiorem vellemus doctrinam perſequi, tanquam ſupervacaneum praeteriri deberet. Porro nulla in homine eſt libertas, ſi ejus mens in ſuis percipiendis

dis ideis, ſuiſque appetitionibus exſerendis nulla item vi activa donetur, ſed occaſione duntaxat motionum quarundam utraeque a Deo excitentur ac producantur. Nemo certe non videt, aut mentis inertiam hujuſmodi non impedire, quominus quum agitur a Deo mens ipſa libere ſe movere tunc ipſa dicatur, aut occaſionaliſtarum admiſſo ſyſtemate humanam libertatem illico concidere & penitus everti; aut denique neque inertiam corporum impedire quominus quum ab externa impelluntur cauſa libere prorſus ſe movere aſſerantur. Enimvero, ut Clar. ipſe Mallebranchius diſerte docet, quemadmodum corpora imparia ſunt omnino ad ſemetipſa impellenda, ita mentes in eadem verſantur impotentia. Inquit enim: *Verum enimvero non modo corpora non poſſunt eſſe verae cauſae illius rei; mentes etiam nobiliſſimae in eadem verſantur impotentia. Nihil poſſunt cognoſcere, niſi Deus ipſas illuminet. Nihil poſſunt ſentire, niſi Deus ipſas modificet. Nihil poſſunt velle, niſi Deus ipſas verſus ſe moveat* (a). Si mens igitur aeque ac

(a) Lib. VI. *De inquirenda veritate* Par. II. Cap. III.

ac quodvis corpus iners plane ſubſtantia ſit; quemadmodum ipſum inſito motu determinare ſe nequit, nec ulla proinde libertate pollere valet, ita ex Mallebranchiana doctrina liquido conſequitur mentem omni penitus libertate carere.

SCHOLION II.

§. 128. Secundum item inconveniens, quod Mallebranchii doctrinam labefactare videtur, paucis meo judicio illuſtrari debet. Quum enim anima Mundi ea a Benedicto Spinoza dicatur, quae immenſitate ſui vitali univerſa impleat (§. 86.), & a qua omnis motus, vita, ſenſus, & cogitatio rebus mundanis tribuatur; ſi ex Mallebranchianis omnium harum rerum immediatum activum principium eſt Deus, neceſſario conſequitur, Deum perpetuo motu perennique vita in corporis humani machinis cogitare, eaque ipſe univerſa implere, quae hominis propria eſſe dicuntur.

SCHOLION III.

§. 129. Tertium denique inconveniens ex Arnobio a) adverſus occaſionaliſtarum ſyſtema inviƈtiſſime praevalet. Niſi locus paulo

(a) Lib. II. *adverſus Gentes*.

paulo longior eſſet, nec nos brevitati ſemper ſtudere curaremus, ejus verba diligenter exſcribere non pigeret. Quae itaque Arnobius ipſe, & cum eo caeteri Philoſophi adverſus Platonicam de animarum corporibus praeexiſtentia opinionem diſputantes afferunt, eo duntaxat ſpectant, ut oſtendant nihil cauſae fuiſſe, Deum e ſyderibus animas in corpora velut in carceres detruſiſſe. Quae profecto valida argumentatio tanti adverſus Mallebranchium facienda eſt, ut niſi ejus patroni pro ipſo reſpondeant, cauſa eos cadere neceſſe eſt. Quaero igitur cui uſui ſit mens humana in corporibus, quoties non ipſa, ſed Deus in illa agere aſſeratur. Stulto & otioſo plane conſilio, niſi mea me fallat opinio, ut nihil ageret, ipſam Deus corpori copulaſſet.

Probat. min. quoad IV. Part. Illud ſyſtema cum Theologia Chriſtiana nulla ratione componitur, quod ſuprema ejus dogmata radicitus evellit. Atqui ejuſmodi eſt cauſarum occaſionalium ſyſtema: Ergo &c.

Probat. min. Illud ſyſtema ſuprema Theologiae capita radicitus convellit, quod pri-

mo efficit, ut ſcelera a corpore patrata menti, ſive animae voluntati imputari non poſſint; quod ſecundo univerſas morum leges ſupervacaneas reddit; quod tertio peccati originalis orthodoxam doctrinam e medio tollit: Atqui ejuſmodi eſt Mallebranchianum ſyſtema: Ergo &c.

Probat. min. Enimvero quanam ratione flagitia a corpore patrata animum illorum reum valent conſtituere, quoties juxta Occaſionaliſtarum principia, corpus ipſum nonniſi inſtrumentum appellari debeat eorum criminum, quae ab ipſo, licet immerito, patrari dicuntur; Deus autem eorum motuum vera efficiens cauſa ſit appellanda? Ne cordis quidem crimina imputari menti valent, qûum in illa producantur neceſſario ex occaſione motionum corporearum.

Supervacaneae item habendae ſunt morales quaeque leges: Nam quid prodeſſe valet praeceptum illud *ex. gr. non occides*, ſi ut quis interficiatur, corpus moveri debet a ſolo Deo, animus vero nihil poteſt niſi libertate arbitrii penitus deſtitutus neceſſario ex occaſione quorundam corporeorum motuum obtemperare? Neque leges

ſolum

ſolum fruſtraneae exiſtimari debent, verum, ut per ſe liquet, exhortationes omnes atque conſilia.

Doctrina demum peccati originalis nullo pacto indemnis ſervari poteſt, ſemel Occaſionaliſtarum poſito ſyſtemate; niſi ſimul animarum praeexiſtentia ſtatuatur. Enimvero ſublato omni cum corpore animae phyſico realique commercio & influxu, incompertum fit quo ex ſurculo labes illa Adamitica derivari in animam valeat. Quae niſi a Mallebranchianis ſolide & orthodoxis reſponſionibus concilientur cum ſupremis Theologiae Chriſtianae memoratis Capitibus, conſequitur eorum ſyſtema cum Theologia Chriſtiana nulla poſſe ratione componi.

Corollarium.

§. 130. Igitur Occaſionaliſtarum ſyſtema impar eſt omnino ad rite explanandum abſtruſum caeteroqui animae cum corpore commercium. Ejus namque indolis eſt, ut indignum ſit Viro Philoſopho; intimae conſcientiae adverſetur; multis oppugnetur argumentis; nec cum ſana Theologia ullo pacto conſentiat.

SECTIO II.

De Harmoniſtarum ſyſtemate in commercio corpus inter & animam mutuo explicando.

TAmetſi ex inſtituto Cauſarum Occaſionalium examine liquido patuerit, earum ſyſtema non ſolum minus fore aptum ad explanandum mentem inter atque corpus commercium, verum etiam illud ipſum nec Philoſopho nec Catholico Viro licere; attamen nobis non uſque adeo conſtat, utrum celeberrima *praeſtabilitae harmoniae* hypotheſis phaenomeno huic aliquatenus detegendo accommodata ſit, quominus a nobis ſit & ipſa aliquo ſtudio expendenda. Gotofredus Guillelmus Leibnitius ſub exitum elapſi ſaeculi, ut veterem, quemadmodum ſcribit, & veram philoſophiam reſtitueret, omnium primus in genuinam ſubſtantiae notionem, quam ille in recentiorum philoſophorum ſcholis depravatam eſſe cenſuit, inquiſivit. Ejus rei ſpecimen exhibuit in Commentatione *De primae Philoſophiae emendatione, & de notione ſubſtan-*

tiae

tiae (a). Ex qua inquiſitione viam ſibi patefecit qua novum harmoniae praeſtabilitae dogma excogitaret. *Sentiens Vir ſummus & acutiſſimus*, inquit Clar. Petrus de Croſa, *nullas huc uſque ad explicationem conjunctionis mentis cum corpore excogitatas fuiſſe hypotheſes, quae non premerentur ſuis difficultatibus, ſuaque obſcuritate; tantae quaeſtionis elucidationem ſagacitate ſua digniſſimam reputans, ſe ſe accinxit ad eam pertractandam, & aſſueto rerum naturae phaenomenis per mechanicas cauſas explicandis, venit in mentem, hominum animas totidem* Automata *eſſe; ſuis ſingulas corporibus conſonas* (b). Tam ergo celebrem hypotheſim intra breves Inſtitutionum Metaphyſicarum fines accuratius, quo fieri a me poterit, expendendam proponam, ut quid de illa ad rem noſtram pertinens ſentiendum ſit in propatulo tandem exhibeatur. Sit itaque ex inſtituto more

(a) Extat in Act. Erudit. Lipſ. An. 1694 men. Martio, pag. 110.

(b) Diſſertat. Philoſophico-Theol. *De Mente humana*. Sect. III. §. 46.

DEFINITIO.

§. 131. Syſtema *harmoniae praeſtabilitae* dicitur illud, *quo commercium animae, & corporis explicatur per ſeriem perceptionum atque appetitionum in anima, & ſeriem motuum in corpore, quae per naturam animae, ac corporis harmonicae ſunt, ſeu conſentiunt.*

SCHOLION.

§. 132. Clar. Chriſtianus Wolfius hujuſce ſyſtematis propugnator praecipuus atque patronus inſignis, ita *praeſtabilitam harmoniam* definit (a). Verum ut apertius uberiuſque intelligatur quae hujuſmodi harmoniae ſit genuina ac dilucida notio, ex eodem Wolfio praeſtat hic traditam modo definitionem exornare. *Anima*, inquit ipſe, *ita eſt a Deo creata, ut vi ſua ſine ope externae cujuſvis cauſae omnes ſuas perceptiones & appetitiones continuata ſerie ſibi producat, ita ut ſemper poſterioris perceptionis aut appetitionis ratio ſufficiens contineatur in antecedenti perceptione vel appetitione: Et corpus ita compactum ac conſtitutum eſt, ut per ſe ſolum ex legibus motus ſine* ulla

(a) *In Pſycholog rationali* Sect. III. §. 612.

nlla animae ope ſibi producat omnes ſuas motiones, itidem continuata ſerie, ut ſemper poſterioris mutationis ratio ſufficiens ſit in praecedenti. Quocirca etiamſi nullum eſſet corpus, anima eadem continuata ſerie omnes eas perceptiones & appetitiones, quas nunc habet, producere ſibi poſſet; & ſublata omni anima, corpus eadem continuata ſerie omnes motus ſuos ſibi crearet (a). Itaque

COROLLARIUM I.

§. 133. *Humana mens naturali ſui vi, independenter ab omni principio externo ſeu ab extranea quavis motione, quae fiat in corpore ex rerum ſenſibilium appulſu*, juxta Wolfii ſyſtema, *producere debet in ſe omnes perceptiones & appetitiones.* Enimvero quum perceptiones & appetitiones producantur in anima *continuata ſerie;* tali lege nimirum, ut una alteri ſuccedat, atque una aeque ſit ratio alterius, corpore non indiget, quo in ipſa perceptiones & appetitiones eaedem fiant.

COROLLARIUM II.

§. 134. Igitur, quemadmodum mens producit vi ſibi propria, independenter a

 quo-

(a) *Ibidem.*

quovis externo principio, adeoque etiam a corpore, cui copulata eſt, ſuas perceptiones & appetitiones *continuata ſerie*; ita *corpus organicum, cui mens ipſa conjungitur, ponitur machina eo artificio a ſapientiſſimo rerum omnium Opifice elaborata, ut independenter ab anima, eos omnes peragat motus, quo in illa fieri deprehendimus*. Illud namque corpus, quod ſublata omni anima, *eadem continuata ſerie omnes motus ſuos ſibi crearet*, haud equidem anima indigét, ut motus ſuos univerſos exſerat.

Corollarium III.

§. 135. Quare, *in ſyſtemate harmoniae praeſtabilitae*, ut ipſe teſtatur Clar. Wolfius (a), *vi mechaniſmi corporis ex ideis materialibus ſenſibilium* (nempe ex motibus, qui ex ſenſibilium rerum appulſu fiunt in cerebro) *naſcuntur motus volitionibus, & appetitionibus animae reſpondentes, citra ullam determinationem extrinſecam immediatam, ab anima pendentem*. Hine

Co-

(a) *Pſycholog. rational.* §. 615. 616.

Corollarium IV.

§. 136. Eadem mechaniſmi vi, ut idem teſtatur Vir Clar. (a) *motus volitionibus animae reſpondentes..... ex motibus ab impreſſionibus in organa ſenſoria factis citra ullam determinationem extrinſecam ab anima pendentem conſequuntur, eodem, quo nunc, modo adhuc conſequerentur, etiamſi anima noſtra non exiſteret*. Propterea

Corollarium V.

§. 137. Quemadmodum eodem docente Wolfio vi ſolius mechaniſmi (b), *in ſyſtemate harmoniae praeſtabilitae ſupponitur poſſibile eſſe corpus, in quo ſeries quaedam motuum per impreſſiones objectorum externorum in organa ſenſoria conſervari poſſit*; ita poſſibilis eſſe anima ſupponitur, quae nunquam interrupta perceptionum atque volitionum evolutione veluti quadam, & vi ſua, omni ſecluſo extrinſeco movente, tanquam ſpiritalis machina, ſive *ſpirituale Automaton*, univerſos motus ſuos peragat.

Co-

(a) *Pſycholog. rational.* §. 616.
(b) *Ibidem* §. 617.

Corollarium VI.

§. 138. Sicuti ergo mens ſpectatur in hoc ſyſtemate veluti *Automaton ſpirituale*; ita humanum corpus, tanquam *Automaton materiale* haberi debet.

Scholion.

§. 139. Duo haec tam diſſimilia *Automata*; animam ſcilicet rationalem, & corpus organicum; ita ſimul junxit ſummus rerum Opifex, ut eodem Wolfio teſte, ſinguli motus, qui, vi mechaniſmi, fiunt in corpore, *conſentiant ſingulis perceptionibus, atque appetitionibus*, & *averſationibus animae*; *eodem prorſus ordine ſe ſe invicem conſequentes* (motus videlicet corporis), *quo animae modificationes ſe ſe invicem excipiunt.* (a). En igitur ſua nativa facie, ſuiſque expreſſum coloribus celeberrimum *praeſtabilitae barmoniae* ſyſtema. Quemadmodum igitur *Occaſionaliſtae* dicuntur, qui commercium mentis cum corpore explicant per ſyſtema *Cauſarum occaſionalium*; ita qui in eodem commercio explicando *praeſtabilitae harmoniae* hypotheſi utuntur, ii profecto *Harmoniſtae* debent appellari. Ante-

te-

(a) *Ibidem* §. 612.

tequam vero hujuſmodi Harmoniſtarum ſyſtema ad exactam trutinam revocemus, neceſſum eſſe reor Axiomata pauca quaedam exhibere, aliaque perinde utilia ſcitu prius animadvertere; quorum ſit

AXIOMA I.

§. 140. *Nihil decerni a Philoſopho debet, quod a ratione ſufficienti non fulciatur.*

SCHOLION.

§. 141. Id ſolemne eſt ipſi Wolfio, qui nihil exiſtere autumavit, nihil aſſerendum perpetuo docuit, quod *rationem ſufficientem* comitem non haberet. Verum nomine *rationis ſufficientis*, vel illud debuit intelligere, quod rem oſtendit aut *per cauſam*, atque ut ajunt *a priori*; aut *per effectum*, & *a poſteriori* ut vulgo fertur. Alioquin a communi ſenſu receſſiſſet, & ſingularem *rationis ſufficientis* in rebus explicandis demonſtrandiſque notionem invexiſſet.

AXIOMA II.

§. 142. *In rebus philoſophicis decernendis poſitiva ratione uti omnes debent philoſophi; nec hypotheſes adhibendae, niſi prius ipſae per poſitivam rationem oſtendantur.*

SCHO-

SCHOLION.

§. 143. Ea eſt hypotheſis cujuſcunque natura, ut, quemadmodum ad theoremata conſtituenda earum aliquam principii loco aſſumere maxime conducit, ita recta ratio neceſſario expoſcit, eandem prius ratione ſolida communire; aut ſaltem ſuo loco opportuniuſque alibi ejus demonſtrationem polliceri: Alioquin cuilibet impune liceret hypotheſes pro lubito fingere, quibus poſitis facili deinde negotio, alia plura ex ſuppoſitione facta conſequerentur. Indignum profecto Viro philoſopho eſt atque a ſapientioribus reprobatum argumentationes conflare, quae ex certiſſimis atque ex notioribus, juxta traditas ratiocinii in Logica noſtra Leges (a), non proficiſcatur.

COROLLARIUM.

§. 144. Ergo *mera hypotheſis, ratione ſufficienti non fulcitur*.

AXIOMA III.

§. 145. *Quotieſcunque philoſophus rite aliquid ad ſuam ſpectans diſciplinam decernere ſtatuit, non ratione ſolum ſufficienti & poſitiva permoveri ad demonſtranda theorema-*

(a) Cap. III.

remata debet, *verum etiam attente ſpectare & pervidere ipſi neceſſe eſt*, *num ſcriptura aut alia quaevis divina Revelatio dogmatibus ſuis refragetur*, *nec ne*.

S c h o l i o n.

§. 146. Quicunque non Philoſophi ſolum, ſed una ſimul Catholici Viri munus, quemadmodum fas eſt, obire ſollicitam navant operam, tam vigili cura in philoſophorum caſtris verſantur, ut nedum quae revelatis a Deo rebus *directe* adverſantur, verum etiam quaeque rejiciant, quae principiis aut hypotheſibus innitantur, ex quibus neceſſario ſequantur aliqua Sacrae Scripturae oraculis prorſus adverſa. Tam firmum iſtiuſmodi penes ſobrios quoſque ſapientes manet, ut tanquam indubitatum Axioma non vigeat ſolum, ſed inſuper ejus contrarium a nullo temere in praxi uſurpetur. Quapropter perperam fallitur Clar. Wolfius (& cum ipſo ejus ſectatores), dum ita effutire non dubitat: *Theologo non intereſt*, *quodnam de commercio inter mentem ac corpus ſyſtema defendat Philoſophus*; *quumque non inutile ſit*, *ſyſtemata quaecumque excoli*, *& in foro philo-*

ſophi-

ſophico de iiſdem diſputari, Theologus etiam Philoſopho ſuam ſtatuendi libertatem illaeſam relinquere poteſt (a). Verum bona tanti Viri venia, ipſum maxime falli affirmo. Arbitror quippe in primis, nimis intereſſe Theologo catholico (& quidem hoc praeſertim aevo, in quo nonniſi nova placeat) probe ſcire, quodnam de commercio mentis cum corpore ſyſtema Philoſophi defendant. Etenim nulla ferme in univerſa Philoſophia quaeſtio occurrit, in qua facilius, quam quum hac de re agitur, Catholicae Fidei dogmatibus, morumque doctrinae queat labes inferri. Alioquin ſi liberum Philoſophis eſſet, nulla Orthodoxae Revelationis habita ratione, quae ſibi magis placent, quantumvis pravae ſint atque turpes, opiniones defendere, eaſque, veluti certa dogmata, impune docere; nemo profecto eſſet, qui froena illis imponere legitime poſſet. Itaque quum, teſte S. Auguſtino, non ad Theologos ſolum, verum & ad Philoſophos ſcire pertineat, quemadmodum Catholica Fides, & *piis opituletur, & contra impios defendatur*

(a) *Pſychol. rational.* § 548.

datur (a); non is certe Philoſophi fungi rite videtur munere, qui revelatae Religionis pene oblitus, aut quaeque pro lubito tueri ſtatuit, aut aeque contendit, non intereſſe Theologo, quidnam Philoſophus defendat. Permitto equidem Clar. Wolfio, *ſyſtemata quaecumque excoli, & in foro philoſophico de iiſdem diſputari*. Enimvero quum (quemadmodum praeclare advertit commemoratus S. Doctor) *nulla falſa doctrina ſit, quae non aliqua vera intermiſceat* (b); utque habet Lactantius, nulla fuerit ſecta tam devia, neque philoſophorum quiſquam tam inanis, *qui non viderit aliquid veri* (c), omnium proinde ſapientum ſcrutari doctrinas, eorumque hypotheſes expendere, poteſt ad detegendam veritatem *ſparſam per ſingulos, per ſectaſque diffuſam* (d) conferre plurimum. Cavendum tamen quammaxime a nobis eſſe arbitror, ne hac de cauſa aliquid admittatur, quod Sacrae Scripturae contrarium vel leviſſime ſit, Patrumque doctrinae

(a) Lib. XIV *De Trinitate* n. 3 *alias* Cap. I.
(b) Lib. II QQ. Evangelic. Quaeſt. 40. n. 2.
(c) Lib. VII. *Divinar. Inſt.* Cap. VII.
(d) *Ibidem*

nae nequaquam conſentiat. Igitur; ut cum Clar. Viro & immortali Ludovico Antonio Muratorio concludam; *Semper ratio, ſemper Philoſophia, aliarumque artium documenta cedere fidei ſacriſque litteris debent, aliquid evidenter tradentibus; non autem ſacrae litterae, ac Theologia aliquid evidenter narrantes, ſubmittendae ſunt rationi, ac Philoſophiae; quamquam & iſtae evidentiam jactent a ſuis partibus quammaximam. Et aequiſſime id ab ipſa ratione exigitur. Cum ſacris enim litteris, & cum fide ac revelatione divina perpetuo & neceſſario conjuncta eſt veritas. Igitur falſum ſit neceſſe eſt, quod a perſpicua fidei eruditione diſſentit. Neque enim alia eſſe poteſt Theologorum veritas, alia Philoſophorum; alia Dei, alia hominum; ac proinde cedat oportet ratio fidei, non fides rationi; ſicut aequum eſt, ut homines Deo, non Deus hominibus cedat* (a).

COROLLARIUM.

§. 147. Igitur *hypotheſis illa, quae ſacris revelatae fidei dogmatibus non cohaeret, ratione ſufficienti caret*. Nulla eſt enim ratio,

(a) *De Moderatione Ingeniorum &c.* Lib. I. Cap. XXI.

tio, nulla veritas; quae revelantem Veritatem habet adverſam.

PROPOSITIO X.

Syſtema harmoniae praeſtabilitae ratione ſufficienti caret.

§. 148. *Demonſtratio I.* Syſtema quodcunque ratione ſufficienti caret, quod nullum habet notius principium quo philoſophice fulciatur: Atqui harmoniae praeſtabilitae ſyſtema nullum habet notius principium, quo &c. Ergo &c.

Prob. min. Syſtema harmoniae praeſtabilitae nullum habet hujuſmodi principium, ſi tota ſui ipſius ratio ſufficiens ipſummet ſyſtema ſit: Atqui ita ſe res habet: Ergo nullam habet rationem &c.

Prob. min. Tota ſyſtematis harmoniae praeſtabilitae ratio ſufficiens, juxta Clariſs. Volfii doctrinam (§. 132.), ſecluſa alia qualibet ratione, in ipſius ſyſtematis expoſitione ſita eſt, ut cuipiam patere poteſt legenti: Ergo &c.

Demonſtratio II. Ratio ſufficiens, qua ſyſtema quodpiam oſtendi debet, & qua hypotheſes ſunt adhibendae, poſitiva requiritur (§. 142.) Atqui harmoniae praeſtabi-

 litae

litae ſyſtema nulla poſitiva ratione oſtenditur: Ergo ipſum ratione ſufficienti caret, qua &c.

Prob. min. Si poſitive oſtendi poſſet, humanam mentem in rerum ideis producendis, atque in ſuis appetitionibus exſerendis independentem adeo eſſe ab omni extrinſeco determinante, ut hac in re ſit veluti *ſpirituale automaton* (§. 137.); & viciſſim corpus humanum eſſe reipſa talem machinam, quae vi ſolius mechaniſmi & tanquam *materiale automaton* independenter ab anima univerſos ſuos motus producat (§. 138.); id vel *a priori* vel *a poſteriori* oſtenderetur: Atqui harmoniae praeſtabilitae ſyſtema neutra ratione demonſtrari poteſt: Ergo &c.

Prob. min. Neutra ratione harmoniſtarum hypotheſis demonſtrari poteſt, ſi tum mentis noſtrae & corporum quorumcunque natura impervia omnino, & adhuc incomperta nobis ſit; tum ſi quae menti corporique humano convenire videntur, contrarium potius & diverſum plane aliquid ab hoc ſyſtemate innuant: Atqui mentis noſtrae & corporum natura incognita, aut

fal-

ſaltem non adhuc plane perſpecta nobis eſt; ac ea quae menti corporique humano convenire videntur &c. Ergo &c.

SCHOLION.

§. 149. Tanta eſt humani ingenii, quum de rebus philoſophicis cogitare ac diſputare aggreditur, non imbecillitas ſolum, ſed etiam obſcuritas, ut non ipſa inviſibilia & incorporea tantum, verum & corporum eſſentiales notiones & proprietates acie ſua ullatenus nequeat attingere. Nam ex ſyſtemate ipſo Leibnitiano ea corporis repreſentare ſibi mens poteſt, quae ſunt phaenomena, ſeu motiones & mutationes partium, aut ab inſita activa vi, aut ab extrinſecis cauſis manantes; intimas vero earundem ſubſtantiarum eſſentias nullo modo, aut obſcure duntaxat, confuſe atque inadaequate. In ipſa praeterea mente noſtra nihil, ſi attente recolere voluerimus, praeter perceptiones aliud noſcimus; conſcii nimirum ſumus multiplicium idearum ſeu perceptionum; intimam autem animi eſſentiam omnino ignoramus. Sunt denique plurima, quae ad animum pertinere Leibnitiani non inficiantur; neque tamen qui-

ſquam eſt, qui eorum in animo *rationem ſufficientem* intelligere valeat. Omnium inſtar ſit doloris aut voluptatis ſenſus ille, qui per ideam gratam aut ingratam in anima recipitur. Is porro ſenſus, procul dubio ex mutatione aliqua ſubjecti, quod eo afficitur, ortum habet. Divinent ergo modo Harmoniſtae, quo animi ſeu monadis illius inextenſae intelligentis motu dolor ſive voluptas fiat; quae ſit doloris & voluptatis intenſitatis & remiſſionis in animo *ratio ſufficiens*; quid demum cauſae ſit, cur a dolore ad voluptatem, & viciſſim ab uno ad alium ſtatum intenſiorem aut remiſſiorem tranſeat. Quum itaque Clar. Wolfius Harmoniſtarum Anteſignanus acerrimus per *harmoniam praeſtabilitam* omnes perceptiones & appetitiones in anima, & viciſſim univerſos motus in corpore iis reſpondentes vult explanare, is ſane ex ignoratione naturae mentis atque corporis, *rationem ſufficientem* nullam tradit. Tantum deinde abeſt, ut *a poſteriori* oſtendi queat, humanam mentem in rerum ideis producendis & appetitionibus ſuis evolvendis tanquam *ſpirituale* quoddam *automaton* ſe habere,

bere, & corpus in ſuis motibus producendis velut *materiale automaton* aliquod ſe gerere, ut contrarium potius ex utroque capite oſtendatur. Evidens eſt enim, nullius prorſus rei ſenſibilis ideam excitari in anima, niſi certa motio in organo ſenſorio ab ipſa re primo fiat, tum cerebro communicetur. Tanta praeterea apparet connexio idearum, quae excitantur in anima cum determinatis quibuſdam motibus organorum ſenſoriorum corporis, ut, ſi mens in rerum ideis producendis *phyſice* ab iis motibus dependeret, major eſſe non poſſet; tanta etiam corporeorum motuum ab anima dependentia ſe prodit, ut ipſum in iiſdem motibus peragendis animae potius ſubiici imperio, ab eaque tanquam a determinante principio realem influxum recipere videatur.

Demonſtratio III. Ea hypotheſis ratione ſufficienti caret, qua philoſophice fulciatur, quae cujuſcunque phaenomeni ſive effectus ex eadem prodeuntis cauſam non affert: Atqui harmoniae praeſtabilitae hypotheſi plurima phaenomena ſive effectus referuntur accepti, quorum tamen nulla ex eadem hypotheſi affertur cauſa: Ergo &c.

Prob. min. Harmoniae praeſtabilitae hypotheſi non perceptiones & appetitiones mentis ſolum, verum etiam univerſis corporis motus referuntur accepti: Atqui hujuſmodi phaenomena ipſius hypotheſis vi & ratione haudquaquam explicantur: Ergo &c.

Prob. min. Juxta Volfianum ſyſtema, humana mens naturali ſui vi, independenter ab omni principio externo producere debet in ſe omnes perceptiones & appetitiones (§. 133.); corpus item producit vi ſibi propria, independenter ab anima, cui copulatum eſt, univerſos ſuos motus, quos in illo fieri deprehendimus (§. 134.) Atqui illud, quod vi ſua agere dicitur, non alterius vi & ratione agere explicari poteſt: Ergo &c.

Corollarium I.

§. 150. Ergo ratio, cur perceptiones & appetitiones contingant in anima, ac deinde, cur motus in corpore reſpondeant in utriuſque *Automatis* (§. 138.) (animae ſcilicet atque corporis) inſita vi potius, quam in ipſa ſyſtematis doctrina ſpectanda eſt ratio. Enimvero in ſyſtemate harmoniae

prae-

praeſtabilitae, quemadmodum ſupponitur poſſibile eſſe corpus, in quo ſeries quaedam motuum per impreſſiones objectorum externorum in organa ſenſoria conſervari poſſit; ita poſſibilis eſſe anima ſupponitur, quae nunquam interrupta perceptionum atque volitionum evolutione veluti quadam, & vi ſua, omni ſecluſo extrinſeco movente, tanquam ſpiritalis machina, univerſos motus ſuos peragat (§. 137.) Ergo non in ſyſtemate, ſed in utriuſque machinae innata & occulta vi, cur effectus & phaenomena cuncta contingant, ratio eſt invenienda.

COROLLARIUM II.

§. 151. Ergo, aut falſum eſt omnino mentem humanam, & corpus, cui illa copulatur eſſe duo veluti *automata*, quorum unum ab altero in ſuis functionibus exercendis harmonice dependeat; vel plurima phenomena ſeu effectus nulli cauſae accepti ſunt referendi. Hoc autem ſecundum falſum quam maxime apparet: Ergo alterum neceſſario abſurdum, ac perinde falſum eſſe debet.

Corollarium III.

§. 152. Ergo, aut falſum eſt omnino, duo haec *automata* ita in ſuis functionibus obeundis harmonice ſe habere, vel univerſa phaenomena, quum nulli principio ſeu cauſae accepta ſint referenda; *a ſe* exiſtentiam habere. Illud enim *a ſe* exiſtit, quod nullam, a quo ſit, cauſam agnoſcit aut principium.

Propositio XI.

Syſtema harmoniae praeſtabilitae Idealiſmo patrocinatur, eique ſtabiliendo viam ſternit.

§. 153. *Demonſtratio:* Illud ſyſtema Idealiſmo patrocinatur, quod realem adſpectabilis hujuſce orbis exiſtentiam prohibet naturali ratione demonſtrari: Atqui harmoniae praeſtabilitae ſyſtema ita cenſeri debet: Ergo &c.

Prob. min. Ea hypotheſis, quae mentem conſtituit in ſuis perceptionibus & appetitionibus producendis a corpore prorſus independentem, & corpus perinde independens a mente efficit in ſuis motionibus exſerendis, ipſa inquam nonniſi Idealiſmo patrocinari videtur: Atqui hujuſmodi eſt harmoniae praeſtabilitae ſyſtema (§. 133. §. 134. §. 135.) Ergo &c.

Corollarium.

§. 154. Ergo etiamſi adſpectabilis hic mundus non exiſteret aeedem conſtanti lege perceptiones & appetitiones in anima, & motus iidem in corpore contingerent. Si enim corpus a mente non dependeat, nec mens a corpore (§. 132.) nihil plane mundi hujus exiſtentia ad utrumque phaenomenon explicandum conferre poteſt.

Propositio XII.

Syſtema harmoniae praeſtabilitae ad Theologicam trutinam revocatum ea caret ratione ſufficienti, ob cujus defectum ad ipſum reprobandum Theologus tota contentione debet permoveri.

§. 155. *Demonſtratio:* Quemadmodum nihil decerni debet a Philoſopho, quod a ratione ſufficienti non fulciatur (§. 140.); nec ullae ſunt adhibendae hypotheſes, niſi prius ipſae per poſitivam rationem oſtendantur (§. 142.); ita tanquam Theologus debet ipſe in iiſdem expendendis ſe gerere (§. 146.): Atqui harmoniae praeſtabilitae ſyſtema invenitur ea ratione ſufficienti carens, qua ipſum debeat reprobare Theologus: Ergo &c.

Prob.

Prob. min. Quilibet Theologus illud debet reprobare ſyſtema, tanquam ratione ſufficienti carens (§. 147.), quod ad trutinam revocatum inveniatur adverſus Scripturarum & Patrum dicta adſtruere manifeſte contraria dogmata: Atque hujuſmodi eſt ſyſtema harmoniae praeſtabilitae: Ergo &c.

Prob. min. Inter plura Scripturarum & Patrum dicta, ea prae caeteris commemoratione ſunt digna, quae ſenſuum externorum cuſtodiam poſſibilem homini eſſe declarant: *Pepigi foedus cum oculis meis*, inquit Job (a), *ut ne cogitarem quidem de virgine*. Quae verba luculenter perſequitur D. Gregorius Magnus (b) atque ex incuria cuſtodiendorum ſenſuum mortem animae imminere teſtatur. Ex Sacris praeterea Voluminibus edocemur; avertendam eſſe nimirum faciem *a muliere compta*, & minime circumſpiciendam *ſpeciem alienam* (c); *quia videlicet propter ſpeciem mulieris multi perierunt*, & *ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit* (d); quatenus nempe, ut unani-

(a) Cap. XXXI. verſ. 1.
(b) Lib. XXI. Moral. Cap. II.
(c) *Eccleſiaſtici* Cap. IX. verſ. 8.
(d) *Ibidem* verſ. 9.

unanimi ſenſu univerſi exponunt SS. Eccleſiae Patres, ac Interpretes viſionem ſpecioſae comptaeque mulieris conſequuntur in anima, non ſecus ac effectus ſuam cauſam, inhoneſtae cogitationes, inde concupiſcentia effervescit, & ad turpia deſideria intuentes provocantur: Hinc Chriſtus Dominus, *qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiſcendum eam*, *jam maechatus eſt in corde ſuo*. Plurima inſuper afferri ad rem poſſent, atque in promptu haberentur Sacrorum Eloquiorum & Patrum ſolemnia & apertiſſima dicta, quae ex ſenſoriorum externorum immutationibus, ex viſibilium praeſertim objectorum in illa appulſu factis, animae ſpiritalem perniciem conciliare teſtantur. *Atqui* falſa cuncta haec fore conſequitur, ſi harmoniſtarum hypotheſis a Theologo abſque cenſura abire permittatur: Ergo &c.

Prob. min. Dubium eſſe nequit, quin, juxta commemorata Scripturarum & Patrum dicta, cogitationes mentis a mutationibus, quae in organis ſenſoriis fiunt, adeo dependeant, ut mutationes ipſae ſint veluti naturalis cogitationum cauſa: Atqui

qui hoc falſum eſt plane, ſi harmoniae praeſtabilitae ſyſtema intactum a Theologo relinquatur: Ergo &c.

Prob. min. Illa, quae ab alio ſeu principio ſeu cauſa nullam dependentiam agnoſcunt, ejuſdem effectus appellari nequaquam poſſunt: Atqui perceptiones, atque appetitiones animae nullam habent ab organorum ſenſoriorum corporis mutationibus dependentiam, juxta harmoniſtarum principia: Ergo &c.

Prob. min. Juxta harmoniſtarum principia, & corollaria inde educta, anima ita eſt a Deo creata, ut vi ſua ſine ope externae cujuſvis cauſae omnes ſuas perceptiones & appetitiones continuata ſerie ſibi producat; corpus item ita compactum ac conſtitutum eſt, ut per ſe ſolum ex legibus motus, ſine ulla animae ope ſibi producat omnes ſuas motiones, itidem continuata ſerie (§. 132. §. 133. §. 134. §. 135. §. 136.): Ergo quemadmodum corpus nullam habet ab anima dependentiam, ita etiam nullam a corpore, animam habere dicendum eſt. Ergo perceptiones &c.

Co-

Corollarium I.

§. 156. Igitur, permiſſa harmoniſtarum hypotheſi, neque ea a Theologo cenſura notata, *nulla mala concupiſcentia eſſet in anima ex illius unione cum carne*. Ex unione quippe mentis noſtrae cum infecta carne, atque ex animae cum corpore arctiſſimo vinculo & communione malam in nobis concupiſcentiam oriri, aperta adeo tum divinae Scripturae, tum SS. Patrum ſententia eſt, ut nullus, ne leviſſimus quidem, eſſe poſſit hac de re ambigendi locus.

Corollarium II.

§. 157. Igitur catholicum peccati originalis dogma corruit, ſi praeſtabilitae harmoniae hypotheſis Philoſophorum genio relinquatur. Quum enim univerſis conſentientibus Theologis, ipſoque Auguſtino Theologorum Principe fatente (a), concupiſcentia peccatum ſit, ſimulque poena & cauſa peccati, atque ex carne in animam derivetur, ſi nulla mala concupiſcentia in anima ſit ex illius unione cum infecta carne (§. 156.), neque itidem ulla originaria labes excogitari profecto in eadem anima poteſt.

(a) **Lib. V.** ***contra Iulianum*** **n. 8.** ***alias*** Cap. **III.**

COROLLARIUM III.

§. 158. Vel ergo, harmoniſtarum data hypotheſi, nulla fuiſſet modo originaria peccati labes, nec ulla mala concupiſcentia; vel ſi utrumque fateri fortaſſe velint harmoniſtae, *eadem prorſus mala concupiſcentia & originalis macula in illa manet etiam a corpore ſeparata*. Hoc enim poſito ſyſtemate nulla mala concupiſcentia derivari in animam poteſt ex illius unione cum carne (§. 156.), neque itidem ulla originaria labes (§. 157.). Ergo etiamſi a corpore ſeparata exiſtat anima, ſi concupiſcentiam & originale peccatum diffiteri nolint harmoniſtae, eadem prorſus &c.

COROLLARIUM IV.

§. 159. Igitur *admitti a Theologo nequaquam poteſt praeſtabilitae harmoniae ſyſtema, quin macerationes carnis, tanquam ad eam ſpiritui ſubigendam plane inutiles, vel inviti, cogamur rejicere*. Enimvero inutiles ſunt omnino, atque adeo rejiciendae macerationes carnis ad compeſcenda iniqua deſideria, ſi eadem paſſura ſit mens, cruciata carne, quae pateretur reipſa, carne ſuo genio relicta. Porro quum nulla ha-

beatur a carne mentis dependentia, & corpus eadem continuata ſerie univerſos motus ſuos ex Volfiano ſyſtemate producturum eſſet etiam ſi anima ei non copularetur (§. 134. §. 135. §. 136. §. 137.), conſequitur

COROLLARIUM V.

§. 160. *Aut harmoniſtarum ſyſtema rejiciendum eſſe, aut ridenda eſſe omnia, quae de maceratione carnis & poenitentia, tum ex D. Paulo, tum ex SS. Patribus Catholica docet Eccleſia.*

COROLLARIUM VI.

§. 161. Igitur, ſi ſtet Volfiana hypotheſis, *neceſſario in mente humana exurgent perceptiones & appetitiones continuata ſerie, ut impediri ab ea nullo pacto valeant.*

COROLLARIUM VII.

§. 162. *Neceſſario quoque univerſi in corpore motus, hac admiſſa hypotheſi excitabuntur, quin iis mens dominari poſſit, aut eoſdem temperare ſive impedire valeat.*

COROLLARIUM VIII.

§. 163. Igitur *humana mens*, harmoniſtarum ſi detur hypotheſis, *omni ſua in perceptiones & appetitiones libertate deſti-*

tuta

tuta eſt. Non enim liberum eſt nobis, quod nobis nolentibus accidit.

SCHOLION.

§. 164. Ex idea, quam omnes percipiunt, illud appellatur *neceſſarium* & humanae libertati oppoſitum, quod a natura ad unum determinata ita ſit, ut a mentis imperio nequeat impediri. Quare cor, quia per ſuam ſtructuram, ſive naturam eſt determinatum *ad ſyſtolem* atque *diaſtolem* peragendam, neceſſario adeo hunc perficit motum, ut fieri nequeat, quin, ſalva illius ſtructura, hac ratione non moveatur. Quotquot itaque tum Metaphyſici, tum Theologi Tractatores humanam definiunt libertatem, in id potiſſimum incumbunt, ut illam, quae *a neceſſitate* dicitur; quemadmodum etiam nos ſuo loco videbimus; conſtituant; ac proinde univerſas hominum actiones fato ſubjici unanimi conſenſione deteſtantur. Utrum vero hominum operationes neceſſario fieri dicendae necne ſint, puto equidem, ex conſtitutis huc uſque Volfiani ſyſtematis principiis & corollariis, ita pervium apparere, ut demonſtratio majori explanatione non indigeat.

Corollarium IX.

§. 165. Igitur harmoniſtarum ſyſtemate poſito, *neque commendatione digni ſunt, qui honeſtas perceptiones & appetitiones in ſeipſis excitare nituntur, neque digni reprehenſione, qui turpes fovere, inhoneſtaſque ſibi in mentem revocare delectantur.* Qui enim ita agunt ex naturae neceſſitate moventur; neque ipſi honeſtis, neque turpibus cogitationibus & appetitionibus carere libere poſſunt (§. 162. §. 163.). Itaque

Propositio XIII.

Harmoniae praeſtabilitae ſyſtema ſcelera quaeque impune permittit.

§. 166. *Demonſtratio:* Ea hypotheſis ſcelera quaeque impune permittit, quae docet I. ſenſuum externorum cuſtodiam; a cujus defectu plurima flagitia proficiſcuntur; ſupervacaneam eſſe prorſus; II. quae nullam eſſe malam concupiſcentiam confirmat; III. quae hominum operationes neceſſarias efficit, & fato ſubjicit; IV. quae neque commendatione illos facit dignos, qui honeſtas perceptiones & appetitiones in ſeipſis excitare nituntur, neque eos ex adverſo reprehenſione dignos, qui turpes, in-

honeſtaſque in mentem revocare delectantur: Atqui univerſa haec docet Harmoniae praeſtabilitae ſyſtema (§. 155. §. 156. §. 161. §. 162. §. 164. §. 165.) Ergo harmoniae praeſtabilitae ſyſtema ſcelera quaeque impune permittit.

SCHOLION.

§. 167. Dubitari non poteſt, nemini actiones flagitioſas imputari ullatenus poſſe, qui in actionibus ſuis a ſenſoriorum mutationibus non dependet; qui nullam in ſe malam concupiſcentiam ſentit ex animae delectatione excitari; qui actiones item ſuas fato habet obnoxias; qui ita operari denique poteſt, nullo habito perceptionum aut appetitionum, ſive honeſtarum ſive turpium, diſcrimine. Qui enim ita conſtitutus eſt, immerito profecto accuſari poteſt; eo quia ſatis ab harmoniſtarum hypotheſi habet, unde ſe tueri atque excuſari jure poteſt.

COROLLARIUM I.

§. 168. Igitur ſyſtema illud, quod ſcelera quaeque impune permittit non ſolum Rerumpublicarum Rectoribus perſpectum eſſe debet, & a Principibus, ne latius manare in eorum dictionibus illud patiantur,

curan-

curandum eſt; verum etiam ab Eccleſiaſticis Paſtoribus anathemate illud ipſum eſt configendum, & quaſi digito oſtendendum, ut a tam peſtifero dogmate Catholici omnes abhorreant.

Corollarium II.

§. *169.* Igitur harmoniae praeſtabilitae ſyſtema omni caret ratione ſufficienti; naturali imprimis, ut viſum eſt; (§. 148.) revelata deinde (§. 155.): Tum etiam quia hypotheſis illa, quae ſacris revelatae Fidei dogmatibus non cohaeret, ratione ſufficienti caret (§. 147.).

Demonſtratio generalis Soritica methodo: Syſtema harmoniae praeſtabilitae multiplici argumento ratione ſufficienti carere demonſtratur (§. 148.): Quod ratione ſufficienti caret, aut falſum eſſe oſtendit mentem & corpus duo eſſe automata, aut demonſtrat plurima phaenomena nulli cauſae accepta eſſe referenda (§. 151.): Quod ita ſe habet, idealiſmo quoque patrocinatur (§. 153.): Quod idealiſmo patrocinatur, Sacrae Scripturae ac Patribus aperte contrarium eſt (§. 155.): Quod S. Scripturae ac Patribus aperte contrarium eſt, Eccleſiae quo-

que doctrinae adverſatur, quae peccati originalis dogma tradit (§. 157.), quae concupiſcentiam ex ipſo originario crimine relictam docet (§. 156.), quae macerationes carnis ad ſubigendam ſpiritui carnem ex Apoſtolo hortatur (§. 160.): Quod ita Eccleſiaſticae doctrinae adverſatur, Theologorum quoque placitis obſiſtit; qui hominis, tum in ſuas perceptiones (§. 161.), tum in motus ſui corporis libertatem, quae *a neceſſitate* dicitur, adſtruunt (§. 162.); qui externas hominis actiones fato ſubjici deteſtantur (§. 164.): Quod ita perperam ſanae doctrinae obſiſtit, ſcelera quaeque impune permittit (§. 166.): Quod ſcelera quaeque impune permittit, omni ratione naturali & revelata caret (§. 169.): Ergo ſyſtema harmoniae praeſtabilitae omni ratione ſufficienti caret.

S C H O L I O N.

§. 170. Hactenus pervulgata admodum duo illa *Occaſionaliſtarum*, atque *Harmoniſtarum* ſyſtemata expendimus, ut ex iis aliquid expiſcari poſſemus, quod ad commercium corpus inter & animam explicandum quoquomodo conduceret. Quamvis autem,

ut

ut egregie more ſuo advertit Tullius (a) facilius ſit falſa convincere, quam vera invenire; idque potiſſimum, quum de Commercii ejuſdem cauſa quaeritur; non propterea inquiſitionem hanc praetermittere prorſus debemus, aliorum hac ſuper re opiniones impugnaſſe contenti. Eodem quippe teſte Tullio, *quaerendi defatigatio turpis eſt, quum id, quod quaeritur, ſit pulcherrimum* (b); *& indagatio ipſa rerum tum maximarum, tum etiam occultiſſimarum habet oblectationem*, adeo nimirum ut, *ſi aliquid occurrat, quod veriſimile videatur, humaniſſima compleatur animus voluptate* (c). Dicam ergo, quae poſſit eſſe tam eximii phaenomeni cauſa; ſi tamen prius ſequens *de humanae mentis viribus atque functionibus* Caput praemittendum, examinandumque curavero. Dicam autem: *ſed ita nihil ut affirmem; quaeram omnia, dubitans plerumque, & mihi ipſi diffidens;* ut verbis utar Tullianis (d). Ita vero me nonnulla dicturum fore confido, ut rem ad evidentiae pene gradum me evexiſſe non immerito gloriari poſſim.

(a) Lib. I. *De natura Deorum* Cap. XXXII.
(b) Lib. I. *De finibus* Cap. I.
(c) Lib. IV. QQ. *Academic.* Cap. XLI.
(d) Lib. II. *De divinatione* Cap. III.

PSYCHOLOGIA.

CAPUT III.

De humanae mentis viribus, atque functionibus.

QUam in praeſentiarum verſare aggredimur Pſychologiae Tractationem ex omnibus, quae in ſecunda hac Metaphyſices Parte diſputari ſolent, ſelectiſſima eſt meo quidem judicio, omniumque etiam pulcherrima. Enimvero vel hebetioribus ipſis (quemadmodum experimento etiam indocti homines & Philoſophiae ignari ſentiunt) conſtare debet, magnum fore quidem de mentis humanae natura, immortalitate, origine, ac cum corpore commercio ſtudium, nec non de eximia, qua caeteris animantibus praeſtat, dignitate, delectabilem admodum ipſis fieri ſermocinationem atque notitiam. At quum

quum de ipſius viribus atque functionibus inſtituitur diſceptatio non apud imperitos ſolum, & ſtupidos rerum metaphyſicarum auditores in praetio eſt, verum etiam penes ſtudioſiſſimos hujus ſcientiae cultores in maximis deliciis eſſe debet, atque ad illam funditus aſſequendam, tanquam totius Pſychologiae apicem, omni ipſi ſe debent ſedulitate comparare. De hiſce itaque uberius quam huc uſque praeſtitimus, nobis ſermocinari propoſitum eſt. Porro quum tres potiſſimum in anima rationali agendi vires vulgo diſtinguant Philoſophi; *Intellectum* ſcilicet, *Voluntatem*, nec non *Memoriam*; ſingulas idcirco in hoc capite conſiderabimus diſtinctiſque ſectionibus abſolvemus. Sit igitur primo

SECTIO I.

De intelligendi virtute ejuſque functionibus.

MEntis potentias ſeu vires explicaturi ab *Intellectu* exordiendum eſſe ideo arbitramur, quod ſublata nimirum intelligendi facultate, nulla *memoria* ſit, nulliuſque uſus ipſa *voluntas*. Ita vero quum

 hic,

hic, tum alibi *de intellectu* ſermocinabimur, ut primo de ipſa virtute *in actu primo*, ut vulgo ajunt, deinde de ea *in actu ſecundo* & ad exercitium perducta nonnullas Propoſitiones conſtituere decreverimus: Sic enim quantum mens in intelligendo vigeat lateque pateat ſatis ſuperque, ut puto, conſtabit. Sit itaque ex more

DEFINITIO I.

§. 171. *Intellectus* ea eſt animae rationalis virtus, *qua res percipimus*, *de illis judicamus*, *unum ex alio; ignotum ſcilicet ex noto; colligimus*, *noſtrarumque cogitationum ſeriem ad verum tum inveniendum*, *tum aliis demonſtrandum* recte diſponimur. Quatuor enim ſunt; quemadmodum per totam Dialectices noſtrae Artem exhibitum a nobis fuit; animae operationes, quae ad intellectum pertinere dicuntur; *ſimplex* nimirum *idearum perceptio*, *judicium*, *ratiocinatio*, atque *methodus*.

SCHOLION.

§. 172. Quum de ſimplici idearum perceptione in praeſentiarum ſit ſermo, tanquam indubitatum modo ſupponimus, eas aut per ſenſus externos, aut per imaginatio-

tio-

tionem menti cogitanti exhiberi. Haec autem perceptio, quum propoſita menti objecta contemplatur, ipſius mentis modificatio nuncupari ſolet; quatenus ipſa nimirum ad aliquid ſpectandum determinatur atque afficitur, quod prius mentem non attingebat.

DEFINITIO II.

§. 173. Simplex idearum perceptio, quae per ſenſus externos menti exhibentur tunc contingit, *quum commotione in extimas nervorum noſtrorum fibras facta, atque ad cerebrum uſque propagata ſpirituum animalium concurſu & famulatu continuo mens ineffabili ratione a perceptione ipſa modificari ſe ſentit*. Quum *ex. gr.* prope ignem verſamur, quaedam ab ignitis corpuſculis in fibrillas manus emanat perculſio, ut ſtatim ab idea vel doloris vel voluptatis mens determinari experiatur.

SCHOLION.

§. 174. Hiſce in rebus experientiam teſtem appello, & communem hominum ſenſum adhibeo. Quippe modificationem hujuſmodi jucundam menti reſpondere ſentiunt omnes, quum id quod in corpore agitur,

gitur, circulationi ſanguinis caeteriſque vitae functionibus conducit; moleſtam vero ſentiunt ideam & a priori prorſus diverſam, quum id, quod in corpore atque in fibrillis agitur, lacerare ipſum ac eas comburere poteſt. Verum utraque haec modificatio in tria genera diſtinguenda eſt; nonnullae ſcilicet modificationes ſive jucundae ſive moleſtae validam vividamque in ſe habent excitationem, aliae vero debilem atque languidam, nonnullae demum inter utramque, mediam continent ſenſationem. Senſationes vividae eae ſunt, quae mentem commovent vehementerque excitant, quia ipſi vel jucundiſſimae ſunt, vel moleſtiſſimae: Hujus generis ſunt dolor exquiſitus, frigus acre, ingens calor; eae denique generatim omnes, quae non modo veſtigia quaedam in cerebro leniter imprimunt, verum etiam quae violenter adeo in mentem agunt, ut ipſam totam rapiant atque corripiant. Senſationes debiles & languidae, eae ſunt, quae mentem levi affectione attingentes, ipſi nec jucundae nec moleſtae ſunt; ut lux mediocris, colores qui exiguo lumine perfunduntur,

ſonus

ſonus lenes, aliaeque id genus. Senſationes denique inter utraſque mediae, eae ſunt, quae mentem mediocriter afficiunt; ut fulgida candela, ſonus aliquatenus vehemens &c. Jam autem ſenſatio debilis primo, media deinde, ac demum vivida fieri poteſt.

DEFINITIO III.

§. 175. Simplex idearum perceptio, quae per imaginationem fit, *in ea conſiſtit facultate, quam mens habet ſibi efformandi imagines objectorum ope ſpirituum animalium excitatas*; quum videlicet voluntatis imperio internae cerebri fibrae immediate eorundem ſpirituum concurſu immutantur, ac nonnulla veſtigia imprimuntur.

SCHOLION.

§. 176. Quemadmodum ea ſenſatio, quae objectorum externorum in ſenſoriorum fibrillas, actione tota peragitur; nimirum quum ab extima corporis cute ad cerebrum uſque propagatur atque perducitur; perceptio per ſenſus externos acquiſita nuncupatur; ſic quum fibrae internae ſolum, mentis imperio & prompto ſpirituum animalium miniſterio excitatae rerum ſibi cudunt

dunt

dunt imagines, tum mens imaginatur, judicatque id quod imaginatur, non equidem extra, ſed intus cerebrum reperiri, hoc eſt objecta imaginata, velut abſentia percipit; atque in hoc totum eſt ſitum diſcrimen, quod inter ſenſationem & imaginationem intercedit. Verum animadvertendum eſt fibras cerebri multo vehementius agitari objectorum impreſſione, quam uno ſpirituum animalium concurſu, eo quia ab externis objectis, quae tanquam praeſentia ſibi mens ſpectat, majorem excitari ſentit voluptatem aut dolorem, quam ex iis, quae velut diſſita contemplatur, & per imagines ſibi adſcita proponit.

Corollarium I.

§. 177. Quum itaque in hujuſmodi mentis virtute imaginatio conſiſtat, fiet proinde, ut quo ſpirituum animalium veſtigia, quae ſunt veluti imaginum illarum lineamenta diſtinctiora fuerint atque vehementiora, eo fortius ac diſtinctius objecta illa imaginabitur mens.

Corollarium II.

§. 178. Ex varia hac proinde eorundem ſpirituum impreſſione, multiplex ingenio-

geniorum varietas eſt repetenda, ac tota ejus ratio reddenda; ex ubertate nimirum aut inopia, agitatione aut tarditate, craſſitudine aut tenuitate ſpirituum animalium; humiditate aut ſiccitate, flexibilitate aut duritie fibrarum cerebri varia, pro ſingulorum pene hominum numero, variaque eorundem conſtitutione.

S C H O L I O N.

§. 179. Longum hic eſſet, minuſque fortaſſe opportunum tantae in hominum ingeniis varietatis cauſas phyſicas perveſtigare ex varia ſpirituum animalium temperatione deſumtas. Illud certe tanquam exploratiſſimum praetereundum haud eſſe exiſtimo; hominem videlicet, tametſi ingenioſum, non ſibi ſimilem diu perſtare; propriae namque inconſtantiae apud ſe quiſque conſcius eſt, ac circa eandem rem mox hoc, mox illud fertur judicium. Enimvero, quum hominis vita in perpetua ſanguinis circulatione, immutatione & tranſitu peragatur, ex una in alteram proinde perceptionum circulationem, ipſum tranſire compertum eſt. Quae nam tantae viciſſitudinis ratio reddi poſſit, ea ſunt, quae

ex

ex peritiſſimis Viris hic ſummatim colligo. Si ſanguis ſubtiliſſimus ſit, major erit ſpirituum animalium copia; ſi ſit craſſus, parcior. Si ſanguis conſtet partibus, quae facile inflammari poſſint in corde, & ad motum aptiſſimae ſint, ſpiritus etiam, qui in cerebro ſunt, vehementer incaleſcent & percito motu agitabuntur: Contra vero, ſi ſanguis non ſatis fermentetur probeque elaboretur in corde, ſpiritus animales quoque languidi erunt atque inertes; ac denique juxta particularum ſanguinis ſoliditatem, ſpiritus animales perinde ſolidiores, minuſve ſolidi fient, ac conſequenter velocius tardiuſve movebuntur. At vero, niſi longior eſſe formidarem, ut haec certiora & compertiora conſtarent, fuſius hic explicari, ac exemplis indubitatiſque experimentis illuſtrari deberent. Attamen de hiſce ſermonem opportunius revertendum fore confido.

DEFINITIO IV.

§. 180. Mentis judicium ea eſt cogitandi facultas, qua ipſa mens plurium idearum collatione facta, unum de altero judicat, earundemque relationem clare diſtincteque internoſcit.

Definitio V.

§. 181. Ratiocinatio eſt plurium judiciorum comparatio inſtituta ad id clare percipiendum, quod perſpicua intuitione non intelligitur.

Scholion I.

§. 182. Definitiones mox conſtitutae ex Clar. Mallebranchio deſumptae leguntur. Ipſe enim poſt traditam ſimplicis perceptionis definitionem, ita ſcribere pergit: *Quum vero judicamus, bis duo non eſſe quinque, quid in hoc negotio agit intellectus? Id unum certe, percipit nimirum relationem paritatis, quae eſt inter duo & duo, aut bis duo & quatuor; & relationem imparitatis, quae eſt inter bis duo & quinque. Judicium igitur intellectus nihil aliud eſt, praeter perceptionem relationis, quae inter duas vel plures deprehenditur res. Sed ratiocinium eſt perceptio relationis, quae inter duas vel plures relationes duarum vel plurium rerum deprehenditur* (a). Haec ipſe luculenter.

Scholion II.

§. 183. Quaeri opportune hoc loco poteſt, quemadmodum ab aliis etiam inveſtigari

(a) Lib. I. *De inquirenda Veritate* Cap. II. §. 7.

ſtigari ſolet; *ſint nec ne ideae ullae toti humanorum ingeniorum generi communes, eaeque immutabiles?* Neque enim; ſi nullae ſint hujuſmodi ideae, eſſe ulla poteſt toti hominum generi communis ratio, ſed inter eos tantum erit aliqua, quorum peculiares communes quaedam ſunt notiones. Quum hujuſmodi inquiſitio interſit plurimum, ut per ſe liquet, & ad ſpeciei humanae unitatem aſſerendam, illudque jus conſtituendum quod naturale ac commune omnibus eſſe debet, admodum conferat, hac de re proinde paulo accuratius diſſerere nobis neceſſe eſt. Atque illud inprimis quilibet per ſe animadvertere permittitur, rerum naturam aeque in omnibus & ubique; ſubſtantia ſaltem, legibus, ac ordine generali; uniformem reperiri: Sunt enim omnia, ex rerum ipſarum eſſentiis in natura, ordinata; quae quoniam eaedem ſunt ſemper ac conſtantes, unum eundemque ſemper ſervaſſe ac ubique ſervare ordinem conſpiciuntur. Porro hujuſmodi rerum natura, quacumque hominum ſenſibus patet, eadem eodemque modo illis objicitur; idem nimirum magnorum globorum ordo, ſitus,

idem

idem aequabilis motus, phaenomena cetera; eadem quoque ubique, quae in ipſa telluri exiſtunt, naſcuntur, creſcunt, intereunt. Ac quanquam non omnibus ferat omnia tellus, ſunt tamen ubique communia quaedam, quae ſaepe modificationibus magis, quam ſubſtantia differant. Quemadmodum vero ſenſuum humanorum objecta ubique eadem habentur atque conſtantiſſima, ita humani ſenſus in omnibus hominibus, oculi ſcilicet, aures, tactus &c. aeque conſtructi deprehenduntur. Natura item ipſa humana ſimilis in omnibus cernitur; reperiuntur ſiquidem homines magnitudine, colore, victu, vitae moribus inter ſe quandoque differre plurimum; iis nempe, quae naturae humanae accidentalia ſunt prorſus; at non aut corporis eſſentiali ſtructura, aut propenſionibus naturae, affectibus, ejuſque generis aliis. Voluptate & dolore capiuntur ubique omnes ac permoventur: Irae praeterea, odio, amori, miſericordiae, ſpei, metui, ambitioni, avaritiae, aliiſque aut animi perturbationibus, aut vitiis, aut virtutibus ſerviunt omnes. Ita videre poſſumus, quacunque patet tellus, Sinenſes,

Japonenſes, Tartaros, Samojedas, Lapones, Americanos, Affricanos eadem generatim pollere indole, neque differre, niſi in iis fortaſſe, quae naturae humanae accidunt, aut quae educatione variiſque climatibus inducuntur. Qui plura ac peculiaria noſcere cupiat, recentes Hiſtoricos atque Itinerarios adeat, in quibus incultas ipſas ac barbaras gentes legimus generis miſericordia tangi, amicitia demulceri, juſtitiae eſſe tenaciſſimos, pudore ac verecundia ſolere ad turpia quaeque ſuffundi; atque eo conſtantius, quo a magnis urbibus degunt remotiores. Vis praeterea judicandi atque ratiocinandi ex rebus ſemel perceptis, utut non in omnibus aeque expedita & prompta, omnibus ineſt tamen. Itaque ſocietas hominum invenitur nulla, quae & vitae naturali conſulere neſciat, neque ſit numerorum ſuapte natura intelligens, quae etiam regimen politicum, aut ſaltem oeconomicum, ignoret omnino; aut quae alicujus Religionis ſit inſcia, & artes qualeſcunque non excolat. Exiſtunt equidem populi, qui univerſa haec perfectius ac promptius exequantur; ſed nulli profecto, qui penitus igno-

ignorent. Cultura igitur, educatione, nonnihil etiam temperamento differunt magis, quam natura. Quapropter jure illud conficiendum eſſe reor; exiſtere nimirum communem quandam toti ingeniorum univerſitati cogitandi rationem; utpote quae ſimilem in omnibus rerum naturam reſpiciat, quae ſenſibus ſit inſtructa ſimilibus, quaeque, ut percipiendi, ita judicandi ratiocinandique virtute polleat. Quod profecto niſi ita contingeret, qui fieri unquam potuiſſet, ut gentes nonnullae cum aliorum locorum ac climatum diſſitis nationibus ſocietatem inirent, & commercia aggrederentur? Id enim non magis fieri potuiſſet, quam ſapientes inter & inſanos, homines inter & pecudes, quibus nulla communis ſenſus ratio eſſet, velle foedus inſtituere. Loci hujus anguſtiae progredi ulterius haudquaquam patiuntur. Ex hiſce nihilominus cuique pervium erit fuſius hac ſuper re inveſtigare; potiſſimum vero, ſi in nationum hiſtoria non ſit plane jejunus.

D E F I N I T I O VI.

§. 184. *Habitus*, quo intellectus, ſive mens tum ideas percipit, tum de iis judi-

cat ac ratiocinatur, *facultas ipſius mentis appellatur prompta atque expedita, qua internae cogitationes exſeruntur.*

S C H O L I O N.

§. 185. Quanquam modo tradita definitio corporeis habitibus, qui voluntatis imperio ſubduntur, aeque accomodari debeat, & valeat; attamen hic inſtituto noſtro conſentaneum eſt, nonniſi de mentis habitibus pauca quaedam animadvertere. Hujuſmodi itaque facultatis naturam humanam eſſe capacem, nemo eſt, qui poſſit inficiari; niſi fortaſſis, qui nondum aut ſui aut aliorum habuit notitiam. Quicunque igitur mentem habitibus exornatam habent, ii certe non homines tantum divina & ſpiritali ſubſtantia cum corpore conjuncta conſtant, verum etiam civili & vere homine digna vita excellere dicendi ſunt. Enimvero totus homo nonniſi habitibus conſtat; qui vero iis caret, etſi naturalis homo dici mereatur, magnum tamen hunc inter & civilem diſcrimen intercedit; quemadmodum rude metallum a probe confecta ſtatua admodum differt. Porro è naturali civilem hominem ſoli efficiunt habitus,

dum

dum mens quae in ſui origine rudem ſortita erat naturam, multiplici poſtmodum perceptionum, judiciorum, atque ratiociniorum exercitio ad rationalem vitam degendam habilis & prompta ſucceſſu temporis evadit. Jam habitus actuum ſaepe repetita continuatione comparari vetus eſt, atque extra omnem dubitationem poſitum omnium philoſophorum effatum: Nempe ut tenellae plantae continuata inflexione eum acquirunt ſitum, in quem ab agricola diriguntur; ita humana natura, quum quidpiam ſaepe efficit, eo inclinatur, ut veluti pondere quodam protrahatur, illudque tum lubentius, tum facilius repetit: Atque ita fit habitus, ſive quidem, ut vulgo dicitur, altera natura.

DEFINITIO VII.

§. 186. *Methodus*, quemadmodum in Logica noſtra (a) definita fuit, *ars illa dicitur ingenioſa, qua plurium cogitationum diſpoſita ſerie, ſuiſque unaquaque ſedibus ſecreta, ac conſtituta veritate, vel hanc latentem inveſtigare, eique ſtudere conamur, vel ſemel perſpicue ac diſtincte cognitam aliis demon-*

(a) Cap. IV. pag. 201.

monſtrare, & *pro illa tota contentione diſputare laboramus*.

HYPOTHESIS I.

§. 187. Velut certum nobis in praeſens eſſe debet, *nullius rei notionem*, *ſive ideam nobis eſſe congenitam; verum univerſas cujuſcunque rei perceptiones a ſenſuum externorum, ac imaginationis mechaniſmo pendere*.

SCHOLION.

§. 188. Tametſi Clar. Viri Nicolai Mallebranchii placita permagni ſemper habuerim; quorum etiam non pauca in hiſce Inſtitutionibus fuerim conſectatus; attamen hic mihi liceat ab illius opinione recedere, & oppoſitum in hac Hypotheſi conſtituere. Ad hoc ſupponendum tum Clar. Philoſophi Joan. Lockii rationes me vehementer permovent, tum univerſorum pene ſapientum ſenſus & celebrior opinio, ad quam omnes compello, me determinant.

HYPOTHESIS II.

§. 189. *In percipiendis rerum tam ſenſibilium, quam abſtractarum ideis, mens copulata corpori vel a ſenſoriorum externorum immutatione, vel ab imaginibus ita dependet, ut nihil in intellectu exiſtere valeat, quin prius per ſenſus quoquomodo tranſierit*.

S c h o l i o n.

§. 190. Iſtud quoque commemorato Clar. Mallebranchio adverſum eſt, atque ex priori ſancita Hypotheſi neceſſario conſequitur. Quum enim nullius rei notio congenita nobis eſſe poſſit (§. 187.) mens profecto ad nullam ideam hauriendam determinare ſe valet, niſi ab externo aliquo principio ſenſibili excitetur.

P r o p o s i t i o XIV.

Quodlibet verum intellectui percipiendi materiam praebere poteſt.

§. 191. *Demonſtratio:* Illud natura ſua attingere poteſt vel attingit reipſa intellectus tanquam ſuarum perceptionum materiam, quod nullam in ſeipſo contradictionem involvit (Part. I. §. 3.). Atqui quod nullam in ſeipſo contradictionem involvit eſt verum quodlibet (Ibid. §. 35.). Ergo &c.

Prob. maj. Illud natura ſua attingit intellectus tanquam ſuarum perceptionum materiam, quod tale ipſum eſt quale per ideam exprimi poteſt (§. 5.): Atqui quod aliquam in ſe ipſo contradictionem involvit non eſt tale, quale per ideam exprimi poteſt: Ergo &c.

Prob. min. Quod aliquid in ſeipſo contradictionem involvit *nihilo* aequiparatur: Sed quod *nihil* eſt abſentiam idearum poſitivarum explicat (Ibid. §. 17.): Ergo &c.

COROLLARIUM I.

§. 192. Quum illud quod nullam in ſeipſo contradictionem involvit ſit *ens; ens* autem non ſit tale, niſi quatenus eſt ſuo exemplari conforme, & ideo verum (Ibid. §. 34.), conſequitur, *ens reale generatim acceptum, quatenus verum, intellectui ſuarum perceptionum materiam ſeu objectum ſe praebere:*

COROLLARIUM II.

§. 193. Igitur quod mens percipit, nec non illud de quo judicat atque ratiocinatur; ſive per ſenſus ſive per imaginationem acquirat; ens eſſe reale poſtulatur. Ipſa enim aliquid attingit quale ipſum eſt, ut queat per ideam exprimi.

COROLLARIUM III.

§. 194. Igitur quidquid in cerebro ope ſpirituum animalium imaginatur mens, illud ſemper reſpicit quod, etſi verum in ſe non ſit, ipſum tamen eidem menti tanquam verum repreſentatur. Sufficit enim, ut

ut aliquid per ideam exprimi valeat, illud haberi *metaphyſice* verum (Ibid. §. 34.)

Corollarium IV.

§. 195. Igitur, etſi varii varia imaginentur, ac plerumque contingat, pro aetatis, ſexus, educationis diverſitate, ipſos falſa & erronea plurima cogitare; quae nimirum receptis diſciplinarum ſive naturae veritatibus non cohaereant; attamen quum ipſa etiam falſa & erronea ſub entis realis adſpectu a mente humana verſentur, ideo fit ut ſemper tanquam vera attingantur.

Corollarium V.

§. 196. Igitur impoſſibile eſt, mentem humanam per ideam aliquid cogitare quod falſum ſit, ſive *metaphyſice non verum*. Quum enim falſum idem ſit ac non *ens* (Ibid. §. 37.), conſequitur hoc ipſum per ideam exprimi non poſſe.

Scholion.

§. 197. Non abs re profecto fore exiſtimo, ſi nonnulla de variis hominum ſtatibus circa imaginationem ſtatuantur; ut inde pateat, quid humana phantaſmatum cudendorum virtus poſſit primum, pro aetatum aut ſexus diverſitate, deinde ut ſufficien-

ficienti animadverſione expoſita a pluribus etiam erroribus ex imaginationum vitio caveamus. Porro quum imaginationis mechaniſmus, quemadmodum omnes Philoſophi conſentiunt, ex fibrarum cerebri temperatione, ſpirituumque animalium configuratione pendeat; inde rationem peti poſſe arbitror, cur magna etiam in iiſdem imaginationibus diverſitas comperiatur. Fibrae itaque cerebri in infantibus plerumque molliſſimae ac delicatiſſimae ſunt; quae poſtmodum ineunte aetate dureſcunt atque corroborantur: Ex quo fit, ut ipſi infantes ad veritates ſublimes abſtractaſque comparandas minus videantur idonei; contra vero rebus ſenſibilibus imaginandis apti quam maxime inveniantur, eorumque attentio ſenſibus diſtracta a metaphyſicis meditationibus tota deflectatur. Eadem quoque fibrarum mollitie, aut pene eadem, inſtructas eſſe & ab eorum natura ita comparatas feminas aeque conſentiunt omnes; unde fit, ut rerum ſenſibilium ſint admodum peritae. De ritu ſane circa veſtitum aut linguam recepto decernere, atque elegantes agendi rationes diſcernere mulierum

eſt:

eſt: Circa haec viros ſcientia, ſolertia & ſagacitate ſuperant. Quidquid etiam guſtu & dapum delectu continetur ad ipſas ſpectat potiſſimum; verum ut plurimum veritatibus paulo difficilibus detegendis ineptae ut plurimum ſunt plane, & quidquid abſtractum eſt, ipſas fugit: Quare ad ſolvendas implexas quaeſtiones; quum ſolam rerum ſuperficiem contemplentur; fruſtra imaginationem adhibent. Uno verbo rerum cortex, non ipſam ſubſtantiam totam ipſarum mentis capacitatem poteſt implere. Quia vero non eadem in omnibus feminis mollities fibrarum cerebri occurrit, quandoque idcirco contingit, ut mulieres quaedam ſolidioris imaginationis & ingenii, quam homines reperiantur. Enimvero ut penes omnes Phyſicos in confeſſo eſt, imaginationis ingeniique vis & ſoliditas in quodam fibrarum temperamento, & craſſitie apta quadam conſiſtit, cum convenientia ſpirituum animalium, quibus potiri feminas nonnullas, & viros ex adverſo hiſce deſtitui, in controverſiam nequit revocari. Hinc exiſtunt feminae, quae fortitudine & conſtantia praeſtant; homines vero debiles

biles & inconſtantes videmus non paucos. Hinc ratio afferri poteſt, cur feminae inveniantur aliquae eruditae, ſtrenuae, audaces; atque e contra homines molles, effeminati, nullius conſilii, atque inertes omnino. Uno effato, quum vitia quaedam ex imaginatione prodeuntia cuidam ſexui, aetati, aut conditioni tribuimus, rem ita ſe habere in pleriſque ſolum intelligimus, haud ignari, nullam eſſe regulam, quae careat exceptione. At de virorum imaginatione loquendo, ipſa ab anno trigeſimo ad quinquageſimum uſque ſuam attingit perfectionem. Tunc temporis fibrae cerebri non parvam contraxere ſoliditatem, voluptates & dolores in ea vix agunt, adeo ut nihil hac aetate timendum aut praecavendum videatur; praeter affectus violentos; qui tamen raro, ſi occaſio ſedulo vitetur, poterunt excitari & commoveri. Tametſi vero fibrarum ſoliditas hujuſmodi utilis eſt hominibus probe educatis; iis nimirum, qui rite a teneris annis imaginari aſſueverunt, tantundem ex adverſo iis noxia eſt, qui hac firmitate cerebri abutuntur, ut in ſuis confirmentur erroribus, quos ex prava educatione contraxerunt.

Propositio XV.

Mens humana nihil ex ſemetipſa poteſt percipere, niſi ab aliqua ſenſibili idea determinetur.

§. 198. *Demonſtratio:* Mens humana quandoque ex ſemetipſa ad aliquam rerum ideam intelligendam determinare ſe poſſet, ſi aliquid in ſuo veluti penu contineret, quod ſibi fuiſſet congenitum, neque illud ſenſoriorum externorum & imaginationis mechaniſmo fuiſſet comparatum: Atqui nulla reipſa in mente exiſtit congenita idea (§. 187.) omneſque rerum tam ſenſibilium, quam abſtractarum ideae vel a ſenſoriorum externorum immutatione vel ab imaginibus ita dependent, ut nihil in intellectu exiſtere valeat, quin prius per ſenſus quoquomodo tranſierit (§. 189.) Ergo &c.

Corollarium I.

§. 199. Itaque *humana mens corpori copulata ſive a ſenſoriorum externorum immutatione, ſive a phantaſmate aliquo determinatur ad unius potius, quam alterius rei ſenſibilis vel abſtractae notionem producendam.* Quum enim ex ſemetipſa & ex ali-

qua

qua ſibi congenita idea id praeſtare nequeat (§. 198.), ab aliquo proinde externo principio determinari poſtulat.

COROLLARIUM II.

§. 200. Igitur *nulla abſtractae rei idea haberetur in anima, ſi nulla res ſenſibilis ab ea cognoſceretur*. Si nullam quippe rem ſenſibilem perciperet mens, id ei deeſſet, ex quo ſenſibilium rerum notiones ab ea, dum corpori copulata eſt derivantur.

COROLLARIUM III.

§. 201. Quum certa res ſit, omnem noſtram cognitionem a ſenſibus determinari, relinquitur, *eam etiam cognitionem, qua mens ſcit ſe cogitare, a ſenſibus dependere*. Mens enim ſe cogitare noſcit, quatenus idearum ſenſibilium appulſu modificari ſe ſentit.

COROLLARIUM IV.

§. 202. Igitur *a ſenſibus etiam illud ortum habet, ut mens ſeipſam de ideis judicando, ex iis ratiocinando, ac denique recta methodo, tum ad verum inveniendum, tum ad illud demonſtrandum dirigat*. Etenim nullae ſunt ideae eidem menti congenitae, e quibus valeat ſeipſam dirigere (§. 187.).

Ergo

Ergo ſi id rite praeſtet, ſenſibus duntaxat referre debet acceptum.

COROLLARIUM V.

§. 203. Ex hiſce apparet, *eam eſſe humanae mentis vim, atque potentiam, ut ex viſibilibus inviſibilia, abſtracta, & ſpiritalia cernere ipſa poſſit, futura ex praeſentibus & ſenſibilibus, & ea quae non ſunt, ex iis quae ſunt colligere*. Quare

COROLLARIUM VI.

§. 204. *Ex repetitis rerum ſenſibilium ideis homo mente & ratione inſtructus, & habituum virtute, ex naturali fit homo civilis, eruditus, doctus, atque ingenioſus evadit*. Quum enim ex rudi homine habituum vi in expolitum & ſcientiis omnibus excultum ipſe convertatur, & altera in eo educationis ope natura fiat (§. 185.), id certe nonniſi multiplici perceptionum, judiciorum, ratiociniorum, atque rectae methodi exercitio obtineri poteſt, ac niſi mens longa eorum actuum frequentatione ſemetipſam dirigat (§. 202.)

COROLLARIUM VII.

§. 205. Igitur *ſenſuum exercitatione homo numeris omnibus abſolutus formatur quodam-*

dammodo, atque a ſenſibus totum, quo praeditus eſt, caeteriſque praeſtat, ingenium haurit.

COROLLARIUM VIII.

§. 206. Igitur *homo nullam Dei Opt. Max. notionem in ſe habet, quae non ſit ex ſenſibus derivata.* Dei quippe notionem ex creaturis, ab eaque Deum nobis non exhiberi niſi per judicium & ratiocinationem ex illis deductam citra dubium eſt. *Habemus*, inquit Clar. Daniel Huetius (a) *Dei notitiam & manifeſtam quidem; at non ex idea Dei hauſtam, ſed ratiocinando collectam, & ex gentium omnium conſenſu, & ex praeclaro mundi ornatu & ordine, & ex rerum, uti vocant, exiſtentia, eorumdemque motu, aliiſque argumentis, quae & a veteribus Philoſophis, & a SS. Eccleſiae Patribus feliciter ſunt uſurpata.*

COROLLARIUM IX.

§. 207. Igitur *ex ſenſibus tota repetenda eſt ingeniorum humanorum diverſitas.* Quippe ex varia ſenſuum ipſorum exercitatione, & diverſa educatione, quibus plus minuſve exornatus efficitur homo; nec non ex

(a) *Cenſura Philoſophiae Carteſianae* Cap. IV.

ex varia ſenſoriorum externorum & fibrarum cerebri ſtructura (§. 197.) ortum hoc habere dicendum eſt.

S C H O L I O N.

§. 208. Tria hic ingeniorum genera lubet tempeſtive diſtinguere; *effeminata* nimirum, *ſuperficiaria*, atque, ut ajunt, *fortia*. Qui effeminato ingenio, ſive a natura ſive ab educatione, ſunt comparati, ii porro dicuntur, qui ſenſibus atque jucundiſſimarum rerum imaginationi nimium indulgentes, veritates paulo abſtruſiores nequeunt penetrare. Plerique Magnates, Aulici, divites, juvenes, ac ii omnes, qui elegantium ingeniorum nomen ſibi arrogant, id ſolum negotii in ſe ſuſcipiunt ut pluribus placeant, ac concupiſcentiam & ſenſus excitent. Tantam quidem in hiſce rebus peritiam ſeu potius tantam mollitiam acquirunt, ut eos potiori jure dicas ingenia eſſe effeminata, quam ſubtilia & expolita: Admodum enim differt vera ingenii ſubtilitas & elegantia a mollitie; licet haec duo vulgo confundantur. Enimvero ſubtilia & perſpicacia illa ſunt, quae ratione duce, vel minimas rerum differentias agno-

 ſcunt,

ſcunt, effectus a cauſis occultis inuſitatiſque pendentes perſpiciunt; ea ſunt denique, quae objecta ſibi propoſita penitius introſpiciunt. Contra vero ingenia mollia nihil habent, praeter falſam ſubtilitatem: Nec vivida ſunt nec perſpicacia; ne effectus quidem a cauſis ſenſibilibus & manifeſtiſſimis prodeuntes vident; nil denique capiunt & intuentur eorum penetratione; de ſenſibili duntaxat agendi loquendique methodo ſolliciti admodum & delicati. Vox barbara aut obſoleta, accentus Provinciae alicui familiaris, caeteroqui aſper & inſuavis, invenuſta oris compoſitio, longe vehementius ipſos, quam invalidae & ſubleſtae rationes, vehementer offendunt. Iſti tamen ſunt homines, qui quamvis argumenti vitia non percipiant, apud vulgus tamen eruditorum eorum fama viget, qua praeclara etiam habentur ingenia. Porro ſi eorum aliquis libere & expedite loquatur, ſi vocibus utatur terſis & exquiſitis, ſi figuras adhibeat, quae ſenſus demulceant affectuſque imperceptа quadam vehementia commoveant; is certe ex vulgi ſententia, erit ingenium elegans, ſubtile, delicatum; licet nil veri,

nil

nil boni, nihil non inepti blateret. Nemo eſt tamen recte ſapiens, qui hujuſmodi hominem non videat adeo celebrem, molli atque effeminato pollere ingenio, & falſis tantum circumfulgere ſplendoribus, nec unquam auditorum mentes illuminare. Quae autem levia & *ſuperficiaria* ſunt ingenia, ea ſunt, quae res nunquam funditus inſpicientes, nil praeter ipſarum corticem ac ſuperficiem attingunt, & differentias nonniſi confuſe diſcernunt. Haud equidem id ipſorum culpa contingit; quemadmodum in effeminatis; ſed quia ingenio a natura donantur exili. Quae tamen exilitas non ex ipſa mentis natura in ſeipſa diverſa, quemadmodum ſuperius dictum fuit (§. 178.) verum ex inopia nonnunquam aut tarditate ſpirituum animalium, interdum etiam ex inflexione fibrarum cerebri, aliquando inſuper ex immoderata ſpirituum eorundem & ſanguinis copia, aut ex alia demum quavis cauſa, quam inpraeſentiarum definire non expedit, oriri ſolet. Quae demum *fortia* ingenia dicuntur fuſiori neceſſe eſt oratione declarari. Per ea itaque, imaginationis vegetam vividamque conſti-

tutionem intelligo, per quam cerebri fibrae veſtigiorum altiſſimorum capaces ita efficiuntur, iiſque mens deinde impletur, ut aliis rebus quam iis, quas imagines illae ipſi repreſentant, non poſſit amplius attendere. Quamobrem duplex hominum genus, qui hujuſmodi imaginationem a natura fuere ſortiti diſtinguere neceſſe eſt. Priores alta haec veſtigia ſuſcipiunt ex impreſſione involuntaria & inordinata ſpirituum animalium; poſteriores vero ea equabilius recipiunt ex quadam diſpoſitione, quae in eorum cerebri ſubſtantia reperitur. Priores omnino inſanire manifeſtum eſt, quum, propter unionem quae ipſorum ideas inter & haec, veſtigia ipſis ſpirituum inordinato motu impreſſa intercedit, cogantur de rebus cogitare prorſus diverſis ab iis, de quibus caeteri homines vulgo loquuntur: Unde etiam fit, ut nihil ad rem poſſint dicere ipſi, aut reſpondere. Innumeri profecto exiſtunt iſtiuſce generis homines; ac inter hoſce accenſere omnes illos poſſumus, qui motu aliquo animi violento cientur; eo quia commotionis tempore ejus ſpiritus animales tanta vi imprimunt veſtigia,

gia, ut quamlibet aliam cogitationem nequeant ſuſcipere. Caeterum aptum habere cerebrum ad res vehementer imaginandas, atque ad vivide minimorum etiam objectorum diſtinctas imagines hauriendas, vitioſum haudquaquam dici poteſt; dummodo mens in imaginationem ſemper regat imperium; ita ut imagines iſtae ad ejus nutum imprimantur, & temperentur. Qui ita ſunt affecti, ii certe ſunt, qui ingenio forti gaudent quidem; at non ita, ut eos delirare dicere debeamus; imo hinc oritur potiſſimum ſagacitas & vis ingenii ad ſubtiliſſima quaeque funditus introſpicienda. At vero ubi imaginatio menti dominatur, atque inconſulta voluntate alte cerebro veſtigia infiguntur, tunc dicendum eſt vitium peſſimum & quaedam inſaniae ſpecies. Qui hujuſmodi ſunt homines, in omnibus modum excedunt; abjecta exaggerant atque extollunt, parva augent, remota appropinquant, nihil ipſis obiicitur, quemadmodum in ſe eſt. Si conſtitutione naturali ad metum ſint proni; videlicet, ſi ipſorum ſpiritus animales ſint pauci, debiles, & tardi, minima de cauſa perterrentur, ac vel

levi arundine mota, continuo trepidare cernuntur. At vero ſi ingens ipſis ſit ſpirituum & ſanguinis copia, quemadmodum frequentius contingit, vana rapiuntur ſpe, qua ſemetipſos ſaepe in altum attollunt, ac ſe ſe imaginationis ſuae ubertati totos permittentes, inanibus conſiliis animo volutandis mirifice delectantur. In affectibus praeterea vehementes, in opinionibus ſuis tenaces ſemper, in ſuis contemplationibus laeti perpetuo & alacres deprehenduntur. Quum inter egregia ingenia recenſeri ambiunt, atque Auctoris munere fungi, mirum quot deliramenta quot impetus! Naturam ipſi nunquam imitantur, univerſa contorquent atque exaggerant, in auras ſe ſe efferunt, nihil ab ipſis profertur quod cothurnum non ſapiat; ſubſultim incedunt, & ipſorum oratio numeroſa apparet & phalerata. Si vero pietatem amplectantur (quod potiſſimum plurimarum eſt faeminarum), illam ex arbitrio metiri ſatagunt, ſpiritumque Judaicum & Phariſaicum plerumque induunt; uni rerum cortici, externis duntaxat confiſi caeremoniis, & praxibus nullius momenti toti adhaereſcunt,

ac

ac toti fiunt meticuloſi atque ſuperſtitioſi. Cuncta, ſi ipſis credas, ad fidem pertinent; cuncta ſunt eſſentialia. Saepe etiam levioribus addicti officiis, utiliſſima poſtmodum negligunt Evangelii praecepta; juſtitiam, miſericordiam, & fidem. Quantum hominum ſocietati & Litterarum Reipublicae id genus homines incommodent, non eſt quod verbis perſequar pluribus; quantum deinde contagione ſua caeteros quibuſcum verſantur inficiant, longum eſſet enarrare. Hoc unum obiter attingere ſufficiat, hoſce vere viſionarios, ſi aliquod ſuarum fortium imaginationum ſeu cogitationum reperiant nimium credulos auditores, continuo eorum menti vitioſum plurimorum praejudiciorum, errorumque ſemen infundere. Quapropter cavenda omnino ſunt hujuſmodi ingenia, atque ſi fieri poſſet, ab eruditorum caſtris arcenda procul eſſent, ne incaute ſaltem externa & per quam vivida magnae eruditionis & ſcientiae ſpecie decipiantur.

COROLLARIUM X.

§. 209. Itaque, *quidquid intelligit mens humana, aut ab ea externorum ſenſuum,*

aut imaginationis ope percipitur. Enimvero mens humana nihil ex ſemetipſa poteſt percipere, niſi ab aliqua ſenſibili idea determinetur (§. 198.). Porro omnis ſenſibilis vel abſtractae rei idea, aut ſenſoriorum externorum immutatione aut phantaſiae ope comparatur (§. 199.) neque ulla congenita menti idea excogitari valet (§. 187.) Ergo &c.

PROPOSITIO XVI.

Mens humana congenita ſibi vi nequit rerum ideas in ſe producere.

§. 210. *Demonſtratio I.* Mens humana congenita ſibi vi rerum ideas poſſet in ſe producere, ſi aliquid ex ſemetipſa poſſet percipere, quin ab aliqua ſenſibili idea determinari deberet: Atqui mens humana ſenſibili aliqua indiget idea reipſa, qua ad aliquid percipiendum determinetur (§. 198.) Ergo &c.

Demonſtratio II. Mens humana ex innata ſui vi rerum ideas poſſet in ſe producere, ſi aliquid in ſe contineret, quod percipiendi materiam praebere valeret: Atqui nihil in ſe habet mens, quod ſibi perceptionum materiam praebere & parare valeat: Ergo &c.

Prob. min. Illud congenita ſibi vi poteſt producere & attingere mens humana, quod tale ipſum eſt, quale per ideam exprimi poteſt: Atqui nihil in mente exiſtit, quod tale ſit, quale per ideam exprimi valeat: Ergo &c.

Prob. min. Ut aliquid in mente exiſteret, quod tale eſſet, quale per ideam aliquam exprimi poteſt, neceſſe eſſet, ut illud ipſum *verum* eſſet; tale nimirum, quatenus ſuo eſt exemplari conforme (Part. I. §. 34.): Atqui in mente humana nullum exiſtit *verum*, quod ſuo ſit exemplari conforme: Ergo &c.

Prob. min. Si aliquod in mente *verum* exiſteret neceſſe eſſet, ut mens illud intelligendo, ſimul ipſum abſque contradictione intrinſeca perciperet: Atqui nihil intelligere in ſe mens valet, quod contradictione careat: Ergo &c.

Prob. min. Quidquid percipit mens humana totum a ſenſibus ortum habet (§. 189. §. 200.) Ergo quod a ſenſibus ortum non habet intelligere in ſe mens nequit, quod contradictione careat.

Prob.

Prob. conſeq. Quod a ſenſibus ortum habet mentem humanam ad intelligendum determinat (§. 199.) illudque extra ſe poſitum intuetur: Ergo nihil intelligere in ſe mens valet, quod contradictione careat.

Prob. conſeq. Ut mens humana aliquid in ſe intelligere abſque contradictione poſſet requireretur, ne ab aliquo extra ſe poſito determinari deberet, verum ut congenitas aliquas ſaltem ideas in ſe haberet: Atqui mens ab aliquo exteriori principio determinari indiget (§. 189.) nec ullae ſibi ſunt ideae congenitae (§. 187.) Ergo &c.

Prob. maj. Quoties ab aliquo extra ſe poſito mens humana determinari poſtulat, *nihil* in ſe habet per quod vi ſua rerum ideas valeat in ſe producere: Sed quod eſt *nihil*, illud ipſum explicat contradictionem atque abſentiam idearum poſitivarum (Part. I. §. 17.) Ergo &c.

COROLLARIUM I.

§. 211. Si mens humana congenita ſibi vi rerum ideas poſſet in ſe abſque ullo ſenſuum & phantaſmatum determinante exteriori principio producere, *neceſſe eſſet ipſi men-*

menti vim creatricem attribuere. Ex nihilo namque ideas cuderet; ex eo nimirum, quod contradictionem involvit. Attamen hoc adeo abſurdum eſſe patet ut nihil magis. *Iſta participatio*, inquit Clar. Mallebranchius (a) *potentiae divinae, quam ſibi arrogant homines, ut objecta ſibi repreſentare, multaſque alias actiones ſpeciales patrare poſſint, participatio eſt, quae independentiam aliquatenus inducere videtur, ut ſaltem illa participatio explicari ſolet. Verum ſincere loquendo, illa participatio chimerica eſt, merum ignorantiae, & vanitatis humanae figmentum.*

COROLLARIUM II.

§. 212. Igitur *mens ab exteriori principio determinata ideas rerum contemplatur; atque ejus inſtar ſe habet, qui propoſitas ſibi picturas intuetur.* Iſte namque pictas imagines ſpectans, non eas ſibi pennicillo effingit, verum ſibi tantum objectas cernit.

SCHOLION.

§. 213. Ex hactenus expoſitis atque demonſtratis neminem putare atque perperam inferre debere non ſuſpicor, mentem huma-

(a) Lib. III. *De inquirenda Veritate*. Cap. III.

manam in ſuis a ſenſuum, & phantaſiae vehiculo comparatis ideis intelligendis *paſſive*, ut ajunt, ſe habere duntaxat, & tanquam inanime aliquod ipſam hoc in negotio ſe gerere. *Putandum non eſt*, inquit S. Auguſtinus (a) *facere aliquid corpus in ſpiritu, tanquam ſpiritus corpori facienti, materiae vice, ſubdatur. Omni enim modo praeſtantior eſt, qui facit, ea re, de qua aliquid facit; neque ullo modo ſpiritu praeſtantius eſt corpus, imo praecipuo modo ſpiritus corpore. Quamvis ergo prius videamus aliquod corpus, quod antea non videramus; atque inde incipiat imago ejus eſſe in ſpiritu noſtro, qua illud, quum abſens fuerit, recordemur, tamen eandem ejus imaginem non corpus in ſpiritu, ſed ipſe ſpiritus in ſeipſo facit celeritate mirabili, quae ineffabiliter longe eſt a corporis tarditate, cujus imago, mox ut oculis viſum fuerit, in ſpiritu videntis, nullius puncti temporalis interpoſitione, formatur.*

COROLLARIUM.

§. 214. Itaque *tota cogitationum humanarum praeſtantia a ſenſibilium idearum in cere-*

(a) Lib. XII. *ſuper Geneſim* n. 33. *alias* Cap. XVI.

cerebrum delatis ope ſpirituum animalium imaginibus, & a phantaſiae mirabili plane mechaniſmo ſeu viribus, deſumenda videtur. Niſi enim iſta in cerebro noſtro praecederent, mens ſpiritalis tanta celeritate ideas ipſas nulla ratione ſpectaret.

SCHOLION.

§. 215. Spatioſum nobis enavigandum eſſet pelagus, ſi de phantaſiae ſeu imaginationis viribus ſermo hic ex profeſſo inſtitueretur, atque diſſentientium philoſophorum utrimque rationes vellemus ad veri trutinam revocare, ubi de magia, de ſtrigibus, de veneficis, aliiſque id genus hominibus agitur, qui cacodaemonis poteſtate & virtute agere creduntur. Id ſolum rei brevitati conſulenti propoſitum eſt, quid plerumque phantaſiae ope & ludificatione contingat inpraeſentiarum decernere. Nihil eſt profecto, in quo vis imaginationis magis ſtupendam ſe praebeat, quam in ingenti illo lemurum, daemonophaniarum, faſcinorum, characterum Magicorum, incantamentorum, Lycanthroporum, ac omnium generatim, quae a ſpirituum inviſibili operatione pendere creduntur, timore. Nihil

hil eſt enim formidabilius ac terribilius menti, quodque in cerebro altiora imprimat veſtigia, quam idea Poteſtatis alicujus inviſibilis, in id perpetuo intentae, ut nos ipſius viribus impares laedat. Quidquid hanc ideam excitat nunquam ſine terrore & anxia curioſitate exauditur. Attamen, ſi quod ex animo hac ſuper re ſentio dicere mihi liceat, dicam equidem quod etiam Clariſſimis doctiſſimiſque Viris ratum probatumque fuit; univerſa ſcilicet, quae a rudibus hominibus imperitiſque mulierculis tanquam praeſtigia & veneficia Daemonis habentur, phantaſiae unius vitio accepta ſaepe fore referenda. Non me latet complures fore, qui aegre ferant, quod pleraque veneficia imaginationis vi audeam tribuere: Ea eſt enim hominum in ipſis terroribus miranda plane indoles, ut iis ſaepe delectentur; atque etiam iis hominibus ſuccenſeant, qui ipſos ab errore depellere conantur. Porro qui hujuſmodi ſunt aegrotis imaginariis iis mihi penitus ſimiles videntur, qui praeſcripta a Medicis, etſi ingratiſſima, remedia ſedulo religioſeque obſervant. Nihilominus haud abs re forſan erit hic brevi quoquo-

modo

modo conari, ne, ſi inveteratas vulgi opiniones e plurimorum mente delere non poſſumus, iis ſaltem, qui cultioribus diſciplinis navant operam, ulla ratione dominentur. Nihil imprimis antiquius eſt inter cerdones humileſque feminas, quam conventus celebrari quoſdam, in Italia praeſertim atque Germania, ubi mares ac multo plures feminae convenientes cum ſpiritibus, quos *Incubos* nec non *Succubos* appellant, nefaria ineant commercia, carnalibuſque ſe polluant congreſſibus atque libidinibus. Viget adhuc inter Noſtrates de *Nuce Beneventana*, ac inter Germanos de *Monte Blokberg* famoſa ſatis fabella; quo ſtatis noctibus advecti & per aerem volitantes homines ac mulieres invicem convenire feruntur. Non minus obtinet falſa *Lycanthroporum* penes rudes opinio, atque eorum, qui in gallos, capras, boves, aliaque bruta tranſmutati creduntur; atque ii praeſertim, qui ſatanae neceſſitudine devincti *Sabbathi* dies feſtos frequentare conſueſcunt. Porro utriuſque praejudicii afferri exempla non pauca ſolent, quae in pluribus ſeu maribus ſeu feminis id contingere

oſten-

oſtendant. Hinc multiplicium veneficiorum enata formido eſt; quibus nimirum ſtriges aut venenatis oculis pueros inficiant, aut pulverum & unguentorum cataplaſmate aliquo, aliiſque veneficis amuletis homines faſcinent. Hinc alterius illius maleficii repetitur origo, quod penes Gallos *l'Aiguillette* audit. Itaque hactenus hic brevi ſcriptione enarrata quomodo phantaſiae mechaniſmo contingant; & tamen veluti Daemonis artificio patrata apud praejudicatas mentes invaleſcant; luculenta ratione ſic exhibeo. Ruſticus *ex. gr.* narrat poſt caenam coram uxore & liberis quae geſta fuerunt in conventu magorum, & quanta laetitia *Sabbathi* feſtiva nox acta fuerit. Uxor item ſe ab aliis feminis vicinis & amicis, quae interfuiſſe illuc teſtatae ſunt, eadem audiviſſe aſſeverat. Quum autem utriuſque imaginatio vaporibus vini ſatis jam aeſtuet, ſibi imaginario huic conventui adeſſe videtur, ac de illo energice & vivide uterque loquitur. Temulenta ruſtici Patrisfamilias eloquentia uxoris dicacitati conjuncta, aptam invenit in tota familia diſpoſitionem ad rem adeo novam ac terribilem excipien-

piendam; ex quo fit ut ingentia abſque dubio veſtigia in imaginationibus debilibus imprimat, neque fieri poteſt, quin tenelli pueri, tenellaeque puellae, his auditis obſtupeſcant, toti occupentur, ac convincantur. Idem per multos dies repetunt Parentes; ac continuo veſtigia imaginationis liberorum magis magiſque creſcunt, donec hiſce narrationibus aſſueti, metuque excuſſo, convictio remanet; ac ipſos denique *Sabbathum* adeundi, remque ſuis oculis uſurpandi inceſſit cupido: ſe ſe ungunt; dein compoſitis in lecto membris, iſta cordis diſpoſitione ipſorum imaginatio efferveſcit; eadem veſtigia ipſorum cerebro a Parentibus inſculpta adeo evolvuntur, ut per ſomnum omnes caeremoniae magicae ſibi deſcriptae motus, tanquam praeſentes & extrinſecus excitatos arbitrentur. Poſtquam expergefacti ſurrexerunt ſe ſe mutuo interrogant, ac ſibi mutuo quid viderint narrant. Hoc modo veſtigia viſionis altius confirmant, ac qui inter eos imaginatione pollet fortiori, intra paucas noctes imaginariam *Sabbathi* hiſtoriam conflat. Non mirum eſt igitur, ſi ii qui tam vivida af-

fecti ſunt imaginatione, quique ſe *Sabbatho* adfuiſſe noctu credunt, idem caeteris deinde vehementi oratione perſuadeant, eoſque, qui ſibi maximopere ſunt addicti, in eandem pertrahant ſententiam. Enimvero dum homines, de quibus bene opinamur, aut quos nobis benevolos admodum arbitramur, nos alloquuntur cerebro noſtro veſtigia iis, quae habent ſimilia inſculpunt. Si forti polleant phantaſia, eo etiam loquuntur modo, quo alta etiam & fortia indere valeant veſtigia; neque enim nos alloqui ipſi queunt, quin nos perinde ſibi ſimiles aliquatenus efficiant. Fac ergo, hujuſmodi narrationes ſaepius repeti, atque a multis etiam ejuſdem civitatis vel oppidi idem dicentibus confirmari: Tanta in plebeiis hominibus imaginationum hujuſmodi vis obtinet, ut plerique (atque ii praeſertim qui melancholico afficiuntur temperamento) ſe reipſa veneficos eſſe ac Daemonum conventus frequentare exiſtiment; idque etiam tam alte menti imbibunt, ut quamvis multi poſtquam prope illos pernoctaverint, affirment, ipſos e lecto haud egreſſos unquam fuiſſe, ab illa tamen opi-

nione

nione nequeuit dimoveri. Hinc fit, ut in locis, ubi comburuntur venefici, ibi multos veneficos reperiri neceſſe ſit; quia nempe, in iis locis veri creduntur eſſe venefici; atque ejuſmodi opinio variis, qui circa illos habentur ſermonibus, magis magiſque firmatur. Deſinant tantillum imaginarios impios hoſce homines morte igniſque ſuppliciis plectere, atque inſanorum inſtar habeantur, tandem fiet ut nulli inveniantur venefici; qui enim ejuſmodi ſunt paulatim errores ſuos abdicabunt. Sapientiſſime igitur a pluribus Principibus atque Parlamentis conſtitutum fuit, ut in terris eorum juriſditioni ſubjectis nulla mortis poena veneficis taxaretur; ſtatimque effectum eſt non ſolum longe pauciores praeſumtos id genus Magos deinceps fore repertos, verum etiam ſceleratorum invidiam, odium, malignitatem, qui id criminis, ut innocentes feminas praeſertim opprimant, praetendere ſolent, fuiſſe propulſata. Quae huc uſque de veneficis, & quomodo imaginationis erroneae culpa iſti fiant, dicta ſunt, Lychanthropis, aliiſque, qui ſe in varia transformari animantia firmiter credunt, ae-

que facili negotio accomodari debent. Plurima pari ſermonis perſpicuitate de Energumenis, caeteriſque hominibus, qui vulgo a Daemone obſideri audiunt, explananda ſupereſſent; ut nimirum quantum credula nimis imperitorum turba hiſce in rebus miſere decipiatur, aperte conſtaret. Verum, quum id a permultis ſapientiſſimis Tractatoribus egregie praeſtitum ſit, (quos inter prae reliquis conſulendus eſt Clar. Philoſophus & immortalis Vir Ludovicus Antonius Muratorius (a)) propterea a majori prolixitate conſultius temperare decrevi; ac ſatis in praeſens me dixiſſe non dubito.

PROPOSITIO XVII.

Humanae mentis imaginatio ejuſque virtus excitari nequit, niſi illa eadem in cerebro pingatur imago, quae facta in eodem fuit, quum rem ipſam mens primo novit.

§. 216. *Demonſtratio:* Mens humana nihil ex ſemetipſa poteſt percipere, niſi ab aliqua ſenſibili idea determinetur (§. 198.) Ergo humanae mentis imaginatio ejuſque virtus &c.

Prob.

(a) In aureo ejus libello, cui titulus: *Della Forza della Fantaſia.*

Prob. conſeq. Quum mens humana ad aliquid per imaginationem intelligendum excitatur, ab aliqua ſenſibili idea determinari poſtulat (§. 299. §. 214.): Atqui ita determinari nequit, niſi illa eadem in cerebro pingatur imago, quae facta in eodem fuit, quum rem ipſam mens primo novit: Ergo &c.

Prob. min. In hoc conſiſtit inter perceptionem per ſenſus externos, & perceptionem per imaginationem comparatas diſcrimen; quod illa fiat, quum commotione in extimas nervorum noſtrorum fibras facta atque ad cerebrum uſque propagata, ſpirituum concurſu & famulatu continuo mens ineffabili ratione a perceptione ipſa modificari ſe ſentiat (§. 173.); haec vero contingat, quum mens facultate utitur & imperio ſibi efformandi imagines objectorum ope ſpirituum animalium excitatas (§. 175.): Atqui menti facultas ſibi efformandi imagines objectorum non adjaceret, niſi per commotionem primo factam in cerebro imagines ipſae ibidem laterent: Ergo &c.

COROLLARIUM I.

§. 217. Ergo *nihil novi imaginatur mens, ſed totum quod veluti diſſitum & per imagines ſibi adſcitum contemplatur, ab externis objectis per ſenſoriorum corporeorum immutationes ad cerebrum uſque prius fuit propagatum.*

COROLLARIUM II.

§. 218. Ergo *pro validiori ſenſatione per ſenſoria organorum ad cerebrum uſque propagata, vividiores eae erunt deinde imagines, quas mens pro ſuo lubito ſibi efformat* (§. 177.).

COROLLARIUM III.

§. 219. Ergo pro varia ſanguinis & ſpirituum animalium natura; ex eorum nimirum ubertate aut inopia, agitatione aut tarditate, craſſitudine aut tenuitate; tum etiam pro varia fibrarum cerebri humiditate aut ſiccitate, flexibilitate aut duritie, non ingeniorum tantum multiplex eſt repetenda varietas (§. 178. §. 208.) verum etiam imaginationis plurima poſſent explicari phaenomena; inter quae potiſſimum.

SCHO-

Scholion.

§. 220. Permulta non a veteribus ſolum, ſed a recentibus etiam Philoſophis in utramque partem diſſeruntur, quum de naevis ac maculis, quas faetus in utero materno degentes contrahunt; ac tum maxime quum de monſtris, quae aliquando a matribus mirum in modum deformata parturiuntur, diſputatio inſtituitur. Quid de hiſce phaenomenis ſentire poſſim, mihi lubet paucis definire; ſi tamen prius duo praemittenda curavero, quae ſtatuendis explicandiſque rebus viam quodammodo ſternant. Primum in eo ſitum eſt; ſapientiſſimum nimirum naturae Auctorem imperceptis quibuſdam vinculis homines ad invicem copulaſſe. Porro quod in illa, quae inter nos caeteroſque homines deprehenditur, naturali unione, potiſſimum obſervatu dignum eſt, in eo conſiſtit, hujuſmodi unionem eo arctiorem eſſe, quo iis hominibus indigemus magis; ſi videlicet cognati & amici ſint; aut alii, a quibus fortunarum & vitae noſtrae conſervatio pendet. Ipſorum quippe dolores, calamitates, voluptates, gaudia nobiſcum communia fiunt;

quaecunque enim ſentiunt patiunturve amici aut conſanguinei noſtri, nos aeque ſentimus patimurve, ipſorum habitu externo ſcilicet commoti. Alterum vero ex hoc priori deductum in eo eſt, quod immediato phyſico vinculo ac commercio matris corpus in infantis in utero degentis corpuſculum influat; ac per umbilicalem ductum non alimoniam duntaxat, verum etiam ſenſationes affectioneſque omnes foetui participet. Quippe adverſus Blondellum Scriptorem Britannum celebrem a permultis anatomicorum experimentorum ope eſt demonſtratum, eundem umbilicalem ductum venis, arteriis, nerviſque apparere contextum; quo etiam ſubtiliſſimi ſpiritus tranſeant. Quum itaque univerſae ſenſationes & affectus a ſanguinis ſpirituumque commotionibus pendeant; quemadmodum omnibus in comperto eſt; conſequitur neceſſario in infantis corpuſculo (quod cum genitricis corpore unum eſt) quidquid occaſione corporis in matre contingit aut percipitur, matri & infanti aeque fieri commune. Igitur quidquid mater videt, audit, ſentit, cupit, patitur, idipſum quoque ſentiat & patia-

patiatur infans neceſſe eſt. Si ergo ſola oris ſpecie & corporis externo habitu conſanguineorum & amicorum infortuniis, doloribus; aut ex adverſo voluptatibus, aliiſque proſperis ita commovemur, ut in ſimiles animi motus cum iiſdem transformemur, eademque, quae ipſi, nobis ſentire videamur; quanto magis putandum certo eſt, matrem infanti, eaſdem quibus afficitur ſenſationes imprimere poſſe, eoſdemque affectus in illo excitare? Ex hiſce igitur ſtabilitis facili ut reor negotio explanari varia & miranda plane phaenomena poſſunt, quae de maculatis faetibus afferri a teſtimoniis ſolent omni exceptione majoribus. Narrat in primis Clar. Mallebranchius (a) duo memoranda exempla, eorumque exhibet rationem, quae a noſtris conſtitutis principiis nihil diſtat omnino; quorum prius ita exhibet: *Septem aut octo abbinc annis, Pariſiis in Noſocomio dicto* Les Incurables, *Juvenis erat ab ortu mente captus, omnibuſque fractus membris, quibus frangi ſolent rei. Per viginti pene annos in eo ſtatu vixit. Non pauci illum vide-*

runt,

(a) Lib. II. *De inquirenda Veritate*. Cap. VII.

runt, & ipſa defuncta Regina Regis noſtri Mater iſtud Noſocomium inviſens, illum juvenem videndi, ipſiuſque brachia & crura ubi erant confracta contrectandi curioſitate ducta eſt..... Hujuſce infortunii haec fuit cauſa; nempe quum ipſius mater reum quempiam mox crurifragio plectendum accepiſſet, iſtius ſupplicii teſtis oculata eſſe voluit. Singuli ictus quibus exceptus eſt miſer ille, imaginationem iſtius matris & repercuſſu quodam cerebrum tenerum delicatumque ipſius infantis vehementer affecerunt. Fibrae cerebri iſtius faeminae oppido fuerunt commotae, quin & forſan fractae in quibuſdam locis curſu violento ſpirituum ad rei adeo terribilis conſpectum agitatorum; ſatis tamen in iſtis fibris ſoliditatis fuit, ut ipſarum ordo & compages penitus non deſtrueretur; quum vice verſa fibrae cerebri infantis non poſſent reſiſtere rapido curſui ſpirituum, penitus detritae fuerint, tantumque fuit illud detrimentum, ut eo ejus ingenium per totam vitam fuerit labefactatum &c. Alterum exemplum ab eodem Clar. Viro enarratum ita ſe habet (a) *Ante unum an*-

num,

(a) *Ibidem.*

num, dum Divi Pii relatio inter Sanctos, ſeu mavis Canonizatio feſto ſolenni celebraretur, mulier quaedam praegnans iſtius Sancti imagine attente nimis conſiderata, infantem huic imagini prorſus ſimilem enixa eſt. Os ſenis, quantum quidem in infante imberbi fieri poteſt, gerebat. Ipſius brachia ſuper pectus decuſſabantur, lumina ad caelum tollebat, erat fronte anguſtiſſima; quia nempe iſtius imaginis verſus Eccleſiae fornicem erectae caelumque adſpicientis frons vix apparebat; mitram quandam habebat humeris inverſam, veſtigiis ſphericis diſtinctam locis, in quibus mitrae gemmis ſolent obduci. Uno verbo infans ille imaginem, juxta quam mater imaginationis ſuae vi ipſum formaverat, admodum referebat. Nemo eſt, cui Pariſiis id videre non licuerit aeque ac mihi, cum infans ille in ſpiritu vini diu ſatis fuerit conſervatus. Hactenus ſupra commemoratus eximius Philoſophus. Cujus etiam admirandi eventus cauſam producit iiſdem animadverſionibus fultam, quae in ſuperiori enarratione ab eo fuit exhibita. Quid vis maternae imaginationis efficere poſſit, pluribus aliis exemplis ex indubiis Auctoribus

ribus petitis poſſemus demonſtrare; niſi longius, quam par eſt Scholii hujus aequos fines excederemus. Quos enim feminae praegnantes quandoque non edunt abortivos? Non modo infantes informes, ſed etiam fructus, quos guſtare avidiſſime cupierunt; mala ſcilicet, fragas, uvas, aliaque ſimilia enituntur. Enimvero dum matres haec imaginantur, ipſorumque comedendorum deſiderio flagrant, infantes eorum utero deliteſcentes ea pariter imaginantur, ipſorumque pari deſiderio tenentur; continuo curſus eorum ſpirituum, qui ad excitandam fructuum imaginem in illorum cerebrum confluunt, ſe ſe per corpuſculum diffundit, atque ea maxime qua ipſi ſunt teneritudine efficit, ut miſeri ac tenelli in ea transformentur, quae optaverunt avidius; contra vero matres ex eo nihil detrimenti ſentiant, quippe ipſarum corpus non eſt ſatis molle, ut eorum quae imaginantur figuram ſuſcipere valeat. Cui plura, & quidem ſtupenda admodum legere & contemplari lubeat, non veteres modo; *Martinum* ſcilicet *Delrio*, *Fienum*, *Sennertum*, *Petrum a Caſtro*, alioſque permultos conſulat,

lat, verum etiam *Ephemerides Germanicas* adeat (a), *Menſem Martium Zodiaci Medici Gallici* (b), nec non *Dominum Peu* (c), in quibus ſatis ſuperque ſententiam noſtram confirmari videbitur, atque evidenter pene oſtendi.

Corollarium IV.

§. 221. *Ex iiſdem ſuperius enumeratis fontibus ea quoque facile explicari poſſe puto phaenomena, quae de ſomniantibus, de noctambulis, de ſtultis & delirantibus, de ecſtaticis & viſionariis hominibus non ſine ingenti admiratione leguntur, aut enarrantur.* Niſi enim longior videri vererer, omnia ſingillatim, juxta recenſitas cauſas, enucleare; quemadmodum unicuique fas erit; non dubitarem.

SE-

(a) In Appendice Anni VI. Decuria II. Obſervatione LIV.
(b) Obſervation. XII.
(c) In Tractatu, cui titulus: *De la Pratique des Accouchemens.*

SECTIO II.

De perpetua mentis humanae cogitatione.

HUmanam mentem ſemper cogitare, Carteſii celebris opinio eſt, eorumque omnium, qui ſicuti eſſentiam corporis in *actuali extenſione*, ita mentis naturam in *actuali cogitatione* poſitam eſſe contendunt. Mihi ergo, quum ſemper a difficillimis maximeque obſcuris controverſiis abſtinere libuerit, perpetuam idcirco mentis humanae cogitationem adſtruere inpraeſentiarum decerno, ut tamen ejus eſſentialem indolem in *actuali cogitatione* locare nequaquam ſtudeam. Verum etſi Carteſius hujuſce ſententiae primus audiat patronus, non ipſe tamen prior reipſa fuiſſe videtur. Quippe idipſum ſenſerat Tullius (a), & cum eo Auctor libri *de ſpiritu & anima* (b) eadem de mente humana fuerat opinatus. Antequam vero ad theoreticam Propoſitionem deveniamus, operae pretium eſt nonnulla ex more praemittere, inter quae primum.

HYPO-

(a) Lib. II. *De divinatione* Cap. LXVII.
(b) Cap. XIII.

Hypotheſis I.

§. 222. Pro certo ſtatuendum in praeſens eſſe puto ſanguinis ſpirituumque animalium circulationem; quemadmodum interdiu nobis vigilantibus mirabili curſu & oeconomia peragitur; ita etiam nobis dormientibus eodem circuitu per totos corporis artus, nervos atque fibrillas excurrere.

Hypotheſis II.

§. 223. Pro certo itidem modo ſuppono, ſomnia univerſa, quae dormientes ſentiunt, nobis non imperantibus & quandoque etiam invitis ac aegre ferentibus, nunc rapido & inordinato, nunc placido & aequabili ſpirituum animalium motu in cerebro excitari.

Hypotheſis III.

§. 224. Tanquam indubitatum aeque conſtituto, ſomnia univerſa, nonniſi imaginationis mechaniſmo conflari: Ita nimirum, ut quae imagines in fibris cerebri percito aut placido ſpirituum motu pinguntur, eaedem menti contemplandae exhibeantur atque reſpondeant.

HYPOTHESIS IV.

§. 225. Neminem dubitare poſſe certo autumo, animum, dum corpus vigilat, ſemper aliquo modo cogitare. Quippe *animorum eſt ea vis atque natura*, inquit appoſite Tullius (a), *ut vigeant vigilantes, nullo adventitio pulſu, ſed ſuo motu, incredibili quadam celeritate. Hi quum ſuſtinentur membris, & corpore, & ſenſibus, omnia certiora cernunt, cogitant, ſentiunt.*

POSTULATUM.

§. 226. Rerum plurimarum, quas in ſomniis mens imaginatas ſpectat, nobis deinde expergefactis, memoriam ſaepe extingui exiſtimandum eſt. Nulla profecto dubitandi ratio apparet, cur ſi multoties eorum, quae per ſomnium vidimus, recordamur, non aeque ſomniaſſe putemus, etiamſi nulla eorundem memoria nobis vigilantibus ſe ſe obiiciat. Recte propterea Tullius (b) *Quum deſertus eſt animus languore corporis, tum agitatur ipſe per ſe ſe. Itaque in eo & formae verſantur, & actiones, & multa audiri, multa dici videntur.*

Haec

(a) Lib. II. *de Divinatione* Cap. LXVII.
(b) *Ibidem*.

Haec ſcilicet in imbecillo, remiſſoque animo, multa omnibus modis confuſa & variata verſantur; maximeque reliquiae earum rerum moventur in animis, & agitantur, de quibus vigilantes aut cogitavimus, aut egimus.

SCHOLION.

§. 227. Qui mentem in ſomno haud cogitare contendunt, id propterea fieri non poſſe affirmant, quod nulla eorum, quae tunc cogitavimus, nobis memoria inſit. Jam vero quam leve hujuſmodi ſit argumentum, ex eo vel maxime patet, quod, hoc ſi detur, dandum quoque neceſſario videatur, nos neque in matris utero, neque quum infantes eramus quidquam cogitaſſe. Ecquis eſt enim, qui ea omnia, quae ſua tunc geſſit mens, memoria teneat? Mentem autem noſtram tum in matris utero, tum in infantili corpore exiſtentem, adeo fuiſſe otioſam ut nihil plane cognoverit, rationi conſonum nullatenus eſt. Igitur cogitare poſſumus, quin eorum, in quibus ſumus cogitatione verſati, vel leviſſime recordemur; ac proinde fieri poteſt, ut mens etiam in ſomnis cogitet,

licet ſomno excuſſa, nequeat ne unum quidem ex iis, quae tunc cognovit, in memoriam revocare. Hac poſita praeterea ſententia, addendum eſt, neceſſario fore ut dicamus, neque, quum vigiles ſumus, nos perpetuo cogitare. Si namque non cogitamus arcto ſomno devincti, quia eo expergefacti, minime nos cogitaſſe recordamur; ergo neque vigilantes ſemper cogitamus, quia eorum, quae complexi tunc animo fuimus, tanta plerumque in nobis oblivio eſt, ut ne confuſe quidem in memoriam ea repetere poſſimus.

PROPOSITIO XVIII.

Mens humana, quandiu corpori copulata eſt, perpetuo cogitat.

§. 228. *Demonſtratio I.* Mens humana ſemper cogitat, ſi corpus cui copulata eſt in perpetuo ad perceptiones producendas motu verſetur: Atqui ita ſe habet corpus, cui mens humana copulatur: Ergo &c.

Prob. min. Corpus, cui mens conjungitur, in perpetuo ad perceptiones producendas motu verſatur, ſi ſanguinis ſpirituumque animalium circulatio; quemadmodum interdiu nobis vigilantibus mirabili curſu

& oe-

& oeconomia peragitur; ita etiam nobis dormientibus eodem circuitu per totos corporis artus, nervos, atque fibrillas excurrat: Atqui ita ſe res habet (§. 222.); Ergo &c.

Prob. maj. Motus, qui in corpore ad idearum perceptiones producendas peragitur, nonniſi ſanguinis ſpirituumque ope & famulatu haberi poteſt (§. 173. §. 175.): Ergo ſi ſanguinis ſpirituumque animalium circulatio; quemadmodum interdiu nobis vigilantibus &c., corpus, cui mens conjungitur in perpetuo ad producendas perceptiones motu verſabitur.

Demonſtratio II. Quae ad perpetuam mentis humanae cogitationem aſſerendam requiruntur ad duo haec referri poſſe videntur, ut primo, corpore vigilante, mens cogitet; ſecundo, ut eodem dormiente & languore oppreſſo ipſa mens in ſuis functionibus vigilet: Atqui in utroque corporis ſtatu mens cogitat: Ergo ejus perpetua eſt cogitatio.

Prob. min. Quemadmodum animus dum corpus vigilat, teſte Tullio, ſemper cogitat (§. 225.) ita aeque ipſum aſſidue co-

gitare, dormiente corpore dicendum eſt; ſi ratio pro adverſa opinione a nonnullis allata nullius pretii ac momenti habenda ſit: Atqui futilis ea omnino & nullius momenti cenſeri debet (§. 227.): Ergo rerum plurimarum, quas in ſomniis mens cogitat, nobis deinde expergefactis memoriam ſaepe extingui exiſtimandum eſt (§. 226.): Ergo in utroque corporis ſtatu mens perpetuo cogitat.

Demonſtratio III. Soritica methodo: In percipiendis rerum ideis mens copulata corpori, vel a ſenſoriorum externorum immutatione, vel ab imaginibus ita dependet, ut nihil in intellectu exiſtere valeat, quin prius per ſenſus quoquomodo tranſierit (§. 189.): Quae ita ſe habet mens nihil ex ſemetipſa poteſt percipere, niſi ab aliqua ſenſibili idea determinetur (§. 198.): Quae ita determinari poſtulat, ſanguinis ſpirituumque animalium ope & concurſu determinatur (§. 173. §. 175. §. 179.): Quae ita determinatur, ejus inſtar ſe habet, qui propoſitas ſibi picturas intuetur (§. 212.): Quae ita ideas ſpectat, nequit rem ullam imaginari, niſi illa eadem in cerebro pingatur

gatur imago, quae facta in eodem fuit, quum rem ipſam mens primo novit (§. 216.): Quae ita pro ſua natura conſtituta eſt, a ſenſibus illud etiam habet, ut ſeipſam de ideis judicando, ex iis ratiocinando, denique recta methodo, tum ad verum inveniendum, tum ad illud demonſtrandum dirigat (§. 202.): Quae ita comparata eſt, totam cogitationum humanarum praeſtantiam a ſenſibilibus ideis derivat (§. 214.): Quae ſenſibilium idearum ope, & ſpirituum animalium mechaniſmo cogitatione praeſtat, dum corpus vigilat, ſemper aliquo modo cogitat (§. 225.): Quae vigilante corpore cogitationibus diſtinetur, vel a ſenſoriorum externorum immutatione, vel a phantaſmate aliquo determinatur ad unius potius, quam alterius rei ſenſibilis aut abſtractae notionem producendam (§. 199.): Quae ita interdiu determinatur, in ſomniis quoque ab imaginationis mechaniſmo, nunc percito, nunc placido ſpirituum animalium motu determinatur (§. 224.) Quae ab imaginibus in ſomniis determinatur, perpetuo gaudet in corpore, cui copulata eſt, ſanguinis ſpiri-

 tuum-

tuumque animalium motu (§. 222.) Quae perpetuo gaudet in corpore, cui copulata eſt, ſpirituum motu, nunc rapido & inordinato, nunc placido & aequabili eorundem ſpirituum curſu univerſa ſomnia; tametſi ea invita & non imperante; in ſe ſentit excitari (§. 223.): Quae univerſas ſomniorum imagines ſpectat (etſi eorum, quae per ſomnium percepit non recordetur) corpore dormiente cogitat (§. 226.) Ergo tam vigilante, quam dormiente corpore cogitat: Ergo mens humana, quandiu corpori copulata eſt, perpetuo cogitat.

SECTIO III.

De humanae voluntatis facultate.

MEns humana tanta pollet omnis veri intelligendi virtute, ut tamen tam eximio decorari munere parum ipſi prodeſſe dici poſſet, niſi aeque bonum appetere, & quod huic adverſum eſt, malum eadem ipſa poſſet averſari. Quamobrem quantum in hac etiam facultate vigeat paucis, quoad poterimus, hic abſolvi curabimus. Sit itaque

DE-

Definitio I.

§. 229. *Bonum*, quod voluntas appetit, dicitur hoc loco, *quidquid humanae naturae conſentaneum eſt*, *ipſamque perficit*. Sic ſapientia *bonum* eſt aliquod; humana quippe natura adeo ſapientia exornatur atque perficitur, ut homo, qui ſapiens ſit, perfectiſſimus cenſeatur.

Scholion.

§. 230. Nulla excogitari notio poteſt, qua *bonum* generatim definiamus, praeter id, quod naturam humanam perficiat. Haec non *bono* tantum *honeſto*, verum etiam *utili*, atque *delectabili* competit; eo quia juxta triplicem ejuſdem boni diviſionem; quae a Philoſophis habetur, rationalis quilibet appetitus expleri poſſit atque perfici; ideoque ſit

Definitio II.

§. 231. *Bonum honeſtum* vocatur illud, *quod rectae rationi conſentaneum eſt*.

Definitio III.

§. 232. *Bonum delectabile* ſive jucundum dici ſolet illud, *quod delectationem parit*; quod nimirum ejus eſt naturae, ut jucunditatem poſſidenti afferat.

DEFINITIO IV.

§. 233. *Bonum utile* illud appellatur, *quod ad bonum honeſtum vel delectabile acquirendum inſervit*.

SCHOLION.

§. 234. Triplex definitum bonum, etſi humanae naturae conſentaneum ſit ipſamque perficiat; idem tamen perfectionem, niſi *verum* ſit *bonum*, non tribuit. Comperta namque res eſt, non omne *bonum honeſtum*, *utile*, atque *delectabile* tale eſſe reipſa, quale nobis eſſe videtur; verum *bonum* quoddam exiſtere, quod apparenti duntaxat conſtat bonitate. Sic vindicta *ex. gr.* nonniſi *bonum apparens* eſt. Tantum enim abeſt, ut perficiat naturam, quin potius ei plurimum noceat: Contra vero ſapientia *verum* eſt *bonum*, quod honeſtate, jucunditate, atque utilitate praeſtat ingenti.

DEFINITIO V.

§. 235. Quemadmodum *bonum* dicitur illud, quod perfectionem affert, ita *malum* ex adverſo dicendum eſt, quod nocumentum aliquod parat.

SCHO-

SCHOLION.

§. 236. Neque hic alia occurrit exhibenda certior *mali* notio, praeter quam ex contraria lege, quod illud humanae naturae officiat. Porro *malum*, vel *inhoneſtum* eſt, ſive *turpe*; vel *moleſtum* eſſe contingit, vel *incommodum*.

DEFINITIO VI.

§. 237. Dicitur illud *malum turpe*, quod rectae adverſatur rationi; ut libido. Tanquam *moleſtum* vero habetur *malum* illud, quod dolorem affert aut taedium; ut febres, diſſoni clamores, tumultus, aliaque id genus. *Incommodum* denique illud eſt *malum*, quod impedit, ne quod appetimus aſſequamur; quemadmodum ſe haberent cupienti litteris toto ſtudio incumbere, adverſa valetudo, paupertas, rei familiaris cura, aliaque ſimilia.

SCHOLION.

§. 238. Quum triplex ſuperius expoſitum bonorum genus apparenti duntaxat bonitate fulgere poſſe dictum fuerit, ita horum malorum quodlibet, aut vere aliquo bono nos privat, & dicitur *malum verum*; aut tantum nobis nocere poſſe videtur; &

ma-

malum apparens recte nuncupatur. Sic vitia & ſcelera inter vera mala recenſeri debent; honoribus vero *ex. gr.* carere, nonniſi *apparens malum* exiſtimari debet: Quippe hominis natura abſque honoribus integra & beata conſtare poteſt.

DEFINITIO VII.

§. 239. Voluntatis humanae libertati, qua nimirum nullo impediente, in bonum ſoluta & libera fertur, duo adverſantur, *coactio* videlicet, atque *neceſſitas*.

DEFINITIO VIII.

§. 240. Libertas, quae *a coactione* ſoluta operatur ea eſt, *quum omni penitus ſublata extrinſeca vi ipſam impellente, ſecundum naturalem propenſionem inclinationemque ſuam operatur, ſuumque effectum producit*. Sic liberae a *coactione* belluae agere vulgo dicuntur, quum parant, quae victui neceſſaria ſunt, quaeque nocere eis poſſunt pro viribus fugiunt atque devitant. Agunt enim tunc non invitae, ſed prout ipſarum natura requirit.

DEFINITIO IX.

§. 241. Libertas, quae *a neceſſitate* immunis eſt, in facultate quadam conſiſtit,

per

per quam agens ex ſua natura ad nihil ita determinatum eſt, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit ex aequo tum agere & non agere, tum ejus, quod agit contrarium exercere.

S C H O L I O N.

§. 242. Nemo eſt qui refragetur, illud nimirum eſſe neceſſarium atque humanae libertati oppoſitum, quod ad unum agendum per ſuam naturam determinatum eſt, quodque *naturale* etiam conſuevit a Philoſophis nuncupari. At vero in eadem *neceſſarii* notione duo conſideranda ſunt, attentoque ſtudio diſcernenda. Enimvero quod neceſſarium eſt, aliud *neceſſitate ſpecificationis*, ſive *contrarietatis*, aliud *neceſſitate contradictionis*, ſive *exercitii* dici ſolet. Primum eſt, quum agens ad unum contrariorum per ſui naturam determinatum eſt. Sic quoniam ignis ita eſt determinatus ad producendum calorem, ut frigus, quod calori *contrarie* opponitur ab illo produci nequaquam poſſit, dicitur calorem neceſſario producere *neceſſitate ſpecificationis*. Secundum tunc eſt, quum agens ita eſt ad operandum determinatum, ut poſitis omnibus

ad actionem praerequiſitis, nequeat non operari. Sic ignis neceſſario *neceſſitate contradictionis*, ſive *exercitii* calefacit corpora ſibi debite proxima, eaque diſſolvit. Non enim fieri poteſt, naturae viribus, ut actione tunc careat ignis, ipſaque corpora illaeſa prorſus relinquat.

COROLLARIUM I.

§. 243. Igitur libertas *a neceſſitate contrarietatis* ea erit, *per quam agens poterit contrarios actus elicere, nec ad ullum erit per ſuam naturam determinatum.*

COROLLARIUM II.

§. 244. Igitur libertas a *neceſſitate contradictionis* illa vere dici poterit, *per quam agens poſitis omnibus ad agendum praerequiſitis, poteſt agere, & non agere; adeo nempe, ut tam actio, quam illius negatio in ipſius agentis poteſtate ex aequo habeatur.*

SCHOLION.

§. 245. Utraque definita libertas a neceſſitate utraque immunis eſt utique; verum fieri poteſt, ut quandoque *a coactione* libera & ſoluta non ſit. Nihil enim impedit, illud ipſum agens, quod ex ſui natura liberum eſt, nec intrinſece ad aliquid
deter-

determinatum, vi aliqua tamen externa detineri, ac quominus virtute ſua inſita utatur devinciri. Homo quiſpiam nimirum, qui caeteroqui ad agendum liber eſt, atque ad ambulandum expeditus, adverſo aliquo & ſe fortiori conatu catenis aut compedibus ita poterit adſtringi, ut nequeat loco ſuo dimoveri.

HYPOTHESIS I.

§. 246. *Humana voluntas ita vult bonum, ut ipſum averſari, quatenus ipſi tanquam bonum objicitur, nullatenus poſſit.*

SCHOLION.

§. 247. Quae a nobis in praeſens, velut hypotheſis, conſtituta eſt Propoſitio facile ut certiſſimum penes omnes Philoſophos Axioma decerni poſſet. Etenim ſi noſtram ipſi conſulamus naturam, fateri neceſſario cogimur, nos ita in bonum tendere, ut nihil ſub ratione boni ſe prodere nobis poſſit, quin naturali veluti pondere in illud abripiamur. *Beati omnes eſſe volumus*, inquit S. Auguſtinus (a), *quod ipſi quoque Philoſophi hujus ſaeculi, & Academici de rebus omnibus dubitantes, teſte patrono ſuo* Tul-

(a) Lib. VI. *Oper. Imperf. contra Julianum.*

Tullio, coacti ſunt confiteri; idque unum eſſe dixerunt, quod diſputatione non egeat; quod nemo eſt qui non expetat.

HYPOTHESIS II.

§. 248. *Humana voluntas ita averſatur malum, ut ipſum velle, quatenus malum eſt, minime queat.*

SCHOLION.

§. 249. Eodem intimo ſenſu, quo expetimur, nos innato quaſi pondere in bonum ferri, conſtat quoque, nos ita averſari malum, ut, quamprimum ſub ratione mali aliquid nobis apparet, congenito quodam veluti impulſu natura ipſa ab illo retrahatur. *Principio*, ut ait luculenter Tullius (a), *generi animantium omni eſt a natura tributum, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur.* Unde S. Auguſtinus dicere non dubitavit, eſſe beatos ita nos velle, *ut eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſſimus* (b). In qua profecto a nobis facta hypotheſi omnes qui recte ſentiunt, & rem funditus attingunt, conſen-

tien-

(a) Lib. I. *de Offic.* Cap. IV.
(b) *In Enchirid.* num. 28. *alias* Cap. CV.

tientes habemus, ac ſi qui ſunt diſſentientes, hoc nonniſi ex perperam percepta doctrina proficiſcitur.

HYPOTHESIS III.

§. 250. *Nulla in anima conſurgit volitio, nullaque nolitio in eadem excitatur abſque ratione ſufficienti.* Nihil appetit nimirum mens, nihilque averſatur abſque motivo, cur unum amore proſequatur, & cur ab altero fugiat.

SCHOLION.

§. 251. Quae generatim appetitionum aut averſationum ſtatui poſſint motiva, ego quidem opinor non admodum difficile eſſe ea ipſa definire. Si enim quaeratur, cur unum appetamus, alterum vero fugiamus, haec una omnium tam doctorum, quam indoctorum vox erit; *quia illud nobis bonum, hoc autem malum*, ſive non bonum, *deprehenditur*, *nobiſque cogitantibus objicitur*. Ratio itaque boni, aut ex adverſo ratio mali a mente percepta, pro cogitationum varietate, in cauſa & motivo ex aequo eſt, cur illud expetamus, ab alio vero refugiamus.

HYPO-

HYPOTHESIS IV.

§. 252. *Nihil expetere, aut contra averſari voluntas poteſt, quin boni vel mali judicium practicum in mente praeceſſerit, in cujus ductu & impulſu ratio ſufficiens, ſeu motivum non contineatur, cur unum ipſa voluerit, ab alio vero declinaverit.*

SCHOLION.

§. 253. Quum *nihil volitum*, ut fert vulgare Scholaſticorum proloquium, *quin praecognitum;* atque ex alio omnium Philoſophorum effato, *ignoti nullà cupido*, inde totam Hypotheſis, ſeu potius Axiomatis, rationem repetendam fore autumarem; niſi longius ejus elucubrationem educere ſtatuiſſem. Quemadmodum ergo varia & multiplicia ſunt hominum temperamenta variae quoque ſenſationes, ſive in externa ſenſoria ſive in imaginationem delatae (§. 176. §. 177.), & magna inde ingeniorum diverſitas a nobis eſt repetita (§. 178. §. 179.) ita ex eadem tantaque varietate non theoretice tantum, verum etiam practice debent ipſi homines de rebus ſub ratione boni aut mali perceptis diverſimode admodum judicare. Duo itaque potiſſimum animad-

madvertenda ſunt, antequam de ſingularium hominum practicis judiciis aliquid decernamus; corporis nimirum temperamentum, atque animi conſtitutionem. Quantum in mentem corporea valeat habitudo, non hic neceſſe eſt explanare, atque ad alterum ſermonem convertere lubet. Voco *animi conſtitutionem*, quae exiſtit ex ejus habitibus, aut intellectualibus, aut moralibus; tum etiam, quae ex affectibus, & ex praeſentibus ideis in eo, qui practice judicat, tota conflatur. Detur animus A habitibus ſcientiarum theoreticarum Geometriae, Logicae, Metaphyſicae, Phyſicae, Theologiae &c. imbutus: Hujus ſane conſtitutio diverſa erit a conſtitutione animi B, qui aut non iiſdem habitibus, aut non aeque, aut diverſis eſt informatus. Exiſtat item animus, qui exornatus ſit habitibus moralibus charitatis, miſericordiae, juſtitiae, fortitudinis, aliiſque ad probitatem ſpectantibus, aut omnibus, aut pleriſque, aut paucioribus: Haec profecto animi conſtitutio diverſa erit plane a conſtitutione animi D, qui aut habitibus diverſis affectus ſit, aut non aeque, aut contrariis

prorſus feritatis, intemperantiae, irae, amoris venerei, aliiſque habitibus deformatus maleque comparatus inveniatur. Praeterea ſi tempore X animi C D non eaſdem verſent animo cogitationes, eorum quoque conſtitutiones inter ſe diſcrepabunt. Quum ergo hujuſmodi animorum conſtitutiones variae, ac pene infinitae valeant reperiri, non in diverſis modo hominibus, verum etiam in uno eodemque homine pro multiplici temporum viciſſitudine, & variatione ſtatuum animi; earum omnium proinde, quum determinationum humanarum motiva perquiruntur, ſedula & accurata ratio habenda eſt. Hinc ratio facile traditur, cur, ſi eadem injuria *ex. gr.* fuerit illata homini ſtupido & ignaro, quae homini ſimul perſpicaci & litteris omnibus exculto inferatur, ex ea non aeque ambo eodemque modo afficiantur; cur, ſi ipſam homini patienti, forti, temperanti, intemperanti, impotenti, iracundo feceris, pro conſtitutionum diſcrimine diverſum plane ſortiatur effectum. Ex eodem inſolenti phaenomeno non eadem ratione commovebuntur vulgus atque Philoſophi. Eodem

etiam

etiam ſermone pio non perinde muliercula, homo rudis, politicus, impius excitabuntur. Audito demum Viri alicujus celeberrimi nomine, commotiones, & judicia varia in omnibus pene conſurgent, pro ſectae, profeſſionis, affectionum, aetatum, ſexus diverſitate. Quum ergo ſtatuere aliquid de peculiaribus hominum judiciis practicis aggredimur, recenſita omnia ad examen ſunt advocanda, atque ex illis tota eſt varietas dimetienda. Si quis *ex. gr.* expendere practica judicia velit, quibus, tanquam motivis & ſufficientibus totidem rationibus, fuerit impulſus ſeſeque determinaverit Julius Caeſar ad ſibi Romanam Rempub. ſubigendam, in cenſum cumprimis venire debet corporis temperamentum, deinde Caeſaris eruditio, ejuſque ſingularis cultura; animi praeterea caeſariani affectus vehementes ob oculos ſunt ſtatuendi; regni nimirum ambitio aut gloriae, atque ex adverſo nominis Pompejani invidentia; tum etiam amor libertatis Patriae; ſi qui ullus in ipſo ſuperfuit; rei difficultas, vires adverſae, pericula, quae id facinus comitari poterant; & caetera hiſce ſimilia.

Quibus omnibus inter ſe collatis non admodum difficulter eruitur cognitio, cur, aut quibuſnam motivis fuerit tunc temporis excellens ille Imperator impulſus ad ea gerenda, quae cum magna totius poſteritatis laude ad glorioſum exitum idem ipſe perduxit. Infinita propemodum aut diſſimilia, aut ſimilia etiam exiſtunt in tanta hominum varietate peculiaria exempla, quorum tamen ſimiles aut diſpares humanarum determinationum ſunt cauſae, ſive rationes ſufficientes, quae nonniſi undequaque libratae nobis indigitare valent, cur unuſquiſque aut aliquid tanquam bonum ſibi concupiſcat, contra vero aliquid velut ſibi incommodum & ſub mali ſpecie reſpuat ac deteſtetur.

HYPOTHESIS V.

§. 254. *Voluntas humana determinare ſe nequit ſive ad expetenda bona, ſive ad mala reſpuenda, niſi menti ſub ratione objectiva bonorum & malorum ea ipſa offerantur.* Ipſa nimirum voluntas non id omne cupit aut rejicit, quod bonum aut malum verum eſt ac reale, ſed id plerumque aut conſectatur, aut fugit, quod ipſi duntaxat objici-

objicitur ſub ea ratione, quae illi appareſt; tametſi in ſe ipſo nec verum & reale ſit vel bonum vel malum.

S C H O L I O N.

§. 255. Unus Renatus Carteſius (a) voluptates omnes atque dolores, quibus voluntas in ſuis deliberationibus aut oblectatur aut triſtatur ex magnitudine perfectionis realis illa producentis metienda eſſe docuiſſe legitur. Caeterum ſingularis ita videtur haec opinio, & a vitae humanae experimentis adeo diſſona, ut contra omnes inter bona & mala *objectiva*, ac bona & mala *realia* ſemper diverſum aliquid Philoſophi diſtinxerint. Boni & mali *objectivi* nomine determinatam voco ejuſdem boni & mali quantitatem, quae in idea duntaxat menti cogitanti repreſentatur; *realis* vero vocabulo quantitatem illam intelligo, quae rebus ipſis, quae velut bonae vel malae percipiuntur, ſolide ineſt. Porro non ſemper aequalia ſunt objectivum & reale bonum, objectivum & reale malum; utraque namque poſſunt minora aut majora

 ap-

(a) Ad Princip. Eliſabetham Palat. Epiſt. VI. Prim. Part.

apparere; poſſunt diverſa videri; apparere demum poteſt malum, bonum; bonum contra, malum. Nihil certe frequentius hoc phaenomeno in vita humana contingit, neque efficacius quidquam hominum miſeriam progignit. Quamvis ergo contingere in aliquibus poſſit, ut quod bonum ac malum reale eſt, voluntatem afficiat & inclinationes aut declinationes in ipſa producat, id tamen nulla ratione fieri poteſt, niſi prius ab ideis bonorum, & malorum objectivis, & a concepta voluptatis aut doloris ſpecie aliqua determinetur atque compellatur.

HYPOTHESIS VI.

§. 256. *Humana voluntas bonis maliſve objectivis illecta, aut perterrita nequit bonum appetere, in quo nulla appareat ratio mali; neque ex adverſo a ſe malum repellere, in quo nulla ratio boni refulgeat.* Ita nimirum pro ſua natura proſequetur bonum ſibi objectum, ut tamen propter aliquam mali ſpeciem, in ipſo perfectiſſime delectari & quieſcere non poterit; ita eadem ipſa a malo ſibi propoſito abhorrebit, ut tamen propter aliquam boni rationem, non penitus ab eo abſterreri continget.

SCHO-

Scholion.

§. 257. Tanta eſt convenientia notionum boni & mali cum voluntatis appetitu vel fuga, ut pro intenſitate bonorum & malorum objectivorum ipſa voluntatis intenſitas libranda ſit. Quum vero plurima impediant, quominus bonorum & malorum ideas clare, diſtincte, atque in tota earum amplitudine perſpiciamus; vitae nimirum brevitas, mentis obſcuritas & confuſio, varia educatio, corporis temperamentum, animi conſtitutio, aliaque id genus; jure propterea dictum a nobis in hac Hypotheſi fuit, bonum ſcilicet voluntati abſque ulla mali ratione exhiberi non poſſe; atque e contrario malum apparere, quod omni careat ſpecie boni. Ut enim praeclare habet S. Auguſtinus, *nolunt homines facere quod juſtum eſt; ſive quia latet, an juſtum ſit; ſive quia non delectat* (a); ſive ut luculentius ibidem alibi docet, *ignorantia & infirmitas vitia ſunt, quae impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum.*

(a) Lib. II. *De peccatorum meritis* num. 26.; alias Cap. XVII.

PROPOSITIO XIX.

Humana voluntas pro ſua natura felicitatem perpetuo & neceſſario appetit.

§. 258. *Demonſtratio I.* Voluntas illud appetit quidquid humanae naturae conſentaneum eſt, ipſamque perficit (§. 229.) Ergo &c.

Prob. conſeq. Quidquid humanae naturae conſentaneum eſt, ipſamque perficit bonum, felix, & fauſtum eſt; ut ex terminis ipſis ſtatim percipitur. Atqui quod ita eſt perpetuo & neceſſario omnes expetunt: Ergo &c.

Prob. min. Illud appetunt omnes perpetuo & neceſſario, quod humana voluntas, quatenus ipſi tanquam bonum objicitur, averſari nullatenus poteſt (§. 246.). Sed quod voluntas averſari nulla ratione poteſt perpetuo, neceſſario, & naturali veluti pondere ab illa diligitur (§. 247.) Ergo &c.

Demonſtratio II. Illud perpetuo & neceſſario humana voluntas appetit, cujus oppoſitum; malum nimirum & propriam infelicitatem; congenito quodam impulſu vehementiſſime ita averſatur, ut ipſum velle, quatenus malum eſt, minime queat (§. 248.)

(§. 248.): Atqui ita a voluntate propria beatitudo diligitur, ut ejus oppoſitum tota contentione declinet; nec infelicitatem quatenus talis eſt, velle ulla ratione queat (§. 249.) Ergo &c.

Prob. maj. Perpetuo & neceſſario malum averſatur voluntas, ſi tum ſemper propria miſeria ſub mali ſpecie ipſi objiciatur, tum ſi in hac fugienda ita determinata ſit, ut ejus oppoſitum velle nequaquam poſſit: Atqui humana voluntas pro ſua natura ita eſt affecta (§. 248. §. 249.) Ergo &c.

COROLLARIUM I.

§. 259. Ergo humana voluntas tam in expetendo bono, quatenus bonum eſt, quam in reſpuendo malo libertate ulla non gaudet. Quod enim neceſſarium eſt, & ad unum determinatum per ſuam naturam, humanae libertati oppoſitum dicitur (§. 242.)

COROLLARIUM II.

§. 260. Igitur humana voluntas quum bonum proſequitur, & a malo refugit tam neceſſitate *ſpecificationis*, quam neceſſitate *exercitii* impellitur. Ita enim bonum diligit, & malum odio proſequitur, ut contrarium praeſtare eorum nequeat; ut deinde,

de, poſitis omnibus ſive ad diligendum ſive ad reprobandum requiſitis, nonniſi aut amare aut odio habere ipſa non poſſit.

COROLLARIUM III.

§. 261. Ergo *beatitudo*, *ſive bonum generatim acceptum eſt objectum neceſſarium voluntatis*. Nihil enim ſub ratione boni occurrere ipſi voluntati poteſt, in quod illa veluti innato pondere non abripiatur. Unde

COROLLARIUM IV.

§. 262. *Miſeria*, *ſive malum generatim ſumtum eſt objectum* (licet obliquum & indirectum,) *a quo congenito & neceſſario quodam impulſu voluntas retrahitur* (§. 249.)

SCHOLION.

§. 263. *Obliquum* dixi & *indirectum*; & jure quidem. Ut enim egregie habet S. Auguſtinus, *mali nulla natura eſt*, *ſed amiſſio boni mali nomen accepit* (a). Quare quum voluntas ab eo fugere nequeat, quod eſt purum putumque *nihil*, conſequitur, malum a voluntate non reſpici, niſi quatenus in bonum tendit, & bono quem amat plurimum nocet; ac proinde nonniſi *indirecte* malum ipſa averſatur.

(a) Lib. XI. *de Civitate Dei* Cap. IX.

Propositio XX.

Humana voluntas in ſuas nequit deliberationes erumpere, niſi ab aliquo determinante excitetur.

§. 264. *Demonſtratio:* Nulla in anima conſurgit volitio, nullaque nolitio abſque ratione ſufficienti (§. 250.): Nihil praeterea expetere, aut contra averſari voluntas poteſt, quin boni vel mali judicium practicum in mente praeceſſerit (§. 252.): Eadem demum voluntas determinare ſe nequit, ſive ad expetenda bona, ſive ad mala reſpuenda, niſi menti ſub ratione obiectiva bonorum & malorum ea ipſa offerantur (§. 254.): Atqui requiſita hujuſmodi totidem determinantia ſunt; quibus voluntas indiget, ut in ſuas deliberationes erumpat: Ergo humana voluntas &c.

Prob. min. Si forte voluntas hiſce tanquam totidem determinantibus non indigeret, id certe fieri non poſſet, niſi ejus deliberationes ſupponerentur abſque motivis, abſque judicio practico, ac demum abſque objectiva boni & mali notione poſſe ab illa prodire: Atqui voluntatis deliberationes abſque tribus hiſce enumeratis prodi-

prodire nullatenus poſſunt (§. 250. §. 252. §. 254.) Ergo requiſita &c.

COROLLARIUM.

§. 165. Ergo *humana voluntas ad nullum in ſuis deliberationibus actum eliciendum cogi poteſt.* Quod enim determinante aliquo indiget ad agendum (§. 264.) ab aliqua violenta externa virtute compelli nequit, niſi ſimul motiva (§. 251.) judicium practicum (§. 253.) atque objectiva boni aut mali notio (§. 255.) ad illam determinandam concurrant. Praeterea, ſi voluntas ad aliquid appetendum vel reprobandum ab externa vi cogi poſſet, eſſet ſimul volens & nolens. Eſſet enim volens per volitionem, quam elicit: Eſſet vero nolens; eo quia coacta volitio involuntaria plane eſt, & contra ipſius voluntatis inclinationem. Haec autem pugnant inter ſe, ut patet. Ergo repugnat prorſus, ut ad aliquem eliciendum actum voluntas humana cogatur.

PROPOSITIO XXI.

Humana voluntas in ſuis deliberationibus a neceſſitate immunis eſt & libera.

§. 266.

§. 266. *Demonſtratio:* Ideo voluntas, quum bonum proſequitur; beatitudinem ſcilicet; & a malo refugit; a miſeria nimirum; tam neceſſitate *ſpecificationis*, quam neceſſitate *exercitii* impellitur (§. 260.); eo quia nihil ſub boni generatim accepti ratione occurrere voluntati ipſi poteſt, in quod illa, veluti innato pondere non abripiatur (§. 261.); tum quia nihil ſub ratione mali generatim ſumti eidem exhiberi voluntati poteſt, a quo congenito & neceſſario quodam impulſu non retrahatur (§. 262.): Atqui humana voluntas, quum in ſuas deliberationes erumpit, non ita a motivis, a judicio practico, atque ab objectiva boni & mali ſpecie determinatur, ut congenito & neceſſario impulſu, vel in bonum feratur, vel a malo retrahatur: Ergo &c.

Prob. min. Quum humana voluntas a motivis, judicio practico, & ab objectiva boni & mali ſpecie determinata deliberat, ita pro ſua natura proſequitur bonum ſibi objectum, ut tamen propter aliquam mali ſpeciem in ipſo perfectiſſime delectari & quieſcere non poterit; ita eadem ipſa a

malo

malo ſibi propoſito abhorrebit, ut tamen propter aliquam boni rationem non penitus ab eo abſterreri continget (§. 256. §. 257.): Ergo &c.

Corollarium I.

§. 267. Ergo *humana voluntas in ſuis deliberationibus libera eſt a neceſſitate contrarietatis*. Non enim ad unum contrariorum per ſui naturam determinata eſt (§. 242.); verum illud ipſum bonum, quod modo amat, propter aliquam mali rationem in eo deteſtam averſari poterit; quemadmodum haud raro contingit; atque ex adverſo illud ipſum malum, quod modo deteſtatur, propter aliquam boni ſpeciem ſibi objeſtam, poterit ſimul amore proſequi, in eoque deleſtari.

Corollarium II.

§. 268. Ergo *humana voluntas in ſuis deliberationibus libera eſt a neceſſitate contradictionis*. Quum enim voluntas in ſuas nequeat agendi & non agendi deliberationes erumpere, niſi ab aliquo determinante excitetur (§. 263.); haec profeſto determinantia roboris tanti non ſunt, ut ad amandum bonum, ſive ad malum odio proſequen-

ſequendum praeciſe illam urgeant. Id quippe boni & mali generatim accepti proprium eſt (§. 260. §. 261. §. 262.), non vero peculiarium bonorum & malorum, quorum ideae clare, diſtincte, atque in tota ſui amplitudine haudquaquam perſpiciuntur (§. 257.): Ergo voluntas humana, ex propoſita ſibi boni vel mali ſpecie, & poſitis omnibus ad agendum praerequiſitis, poterit agere, & non agere; adeo nempe, ut tam actio, quam illius negatio in agentis liberi poteſtate ex aequo habeatur (§. 244.)

SCHOLION.

§. 269. In hoc extremo Corollario tota ſita eſt humanae libertatis indoles, pro qua aſſerenda omni debent Metaphyſici ſcriptores contentione & ſtudio laborare. Longum hic eſſet profecto enarrare quot ipſa hactenus refractarios hoſtes paſſa fuerit, non Eccleſiae tantum Chriſti ſaeculis, verum etiam veterum Philoſophorum tempore; a quorum fontibus hauſiſſe viſus eſt impius Benedictus Spinoza hoc noſtro aevo (a). Quare brevitas noſtra fuſius hac in re nos immorari non patitur. Maximi vero momenti

(a) Vid. Epiſt. pag. 584. 585.

menti eſſe videtur uberior ejuſdem demonſtratio ex aliis petita argumentis, quemadmodum hic ſingula percurrendo praeſtare pro viribus ſtudebo. Ac primum, praetermiſſis ejuſdem brevitatis ergo ſcripturarum (a) Patrumque SS. apertiſſimis pro illa teſtimoniis (b), omnium ferme veterum Philoſophorum conſtans occurrit auctoritas, ut apud S. Auguſtinum (c) videre licet. Quum vero naturalis ratio ea ſit, quae prae caeteris rebus invicte perſuadeat; porro homini libertate ſublata, omnis humana vita ſubvertitur, fruſtra leges promulgantur, fruſtra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, neque ulla juſtitia bonis praemia, & malis ſupplicia conſtituta ſunt. Fruſtra namque praecipitur quod abſque exercitii libertate, & neceſſario penitus faciendum eſt; ac denique injuſte prorſus prohibetur, quod vitari non poteſt. Si neceſſitate facimus, quid-

(a) Eccleſiaſtici Cap. XV. v. 14. Cap. XXXI. v. 10. Geneſeos Cap. IV. v. 7.

(b) S Auguſtin. Lib. *De grat. & libero Arbitrio*, num. 3. alias Cap. II. S. Cyprianus Lib. I. Epiſt. III. *Ad Cornelium*. S. Ambroſius *Comment. in Pſal.* 40.

(c) Lib. V. *de Civit. Dei*, Cap. X.

quidquid facimus, fieri certe nequit, ut honeſte vivat qui turpiter vivit; quemadmodum haud poteſt fieri, ut caecus lumen videat, & qui claudus eſt, recte incedat. Quae certe abſurda homini ſua ratione recte utenti tam gravia eſſe debent, ut contra cum tota hominum caeterorum univerſitate & unanimi omnium firma opinione ſentire cogatur. Porro quum nulla ſit gens, nullumque genus hominum, quod publicum Magiſtratum non habeat, certaſque leges, *quae*, ut ait Tullius (a) *ſupplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos*, dubium eſſe nequit, quin ſit vox naturae, ea nos libertate fuiſſe donatos, qua ita agamus, quaecumque bene vel male facimus, ut in noſtra ſit poteſtate prorſus otiari. Si ergo *omnium conſenſus*, quemadmodum praeclare advertit idem Tullius (b) *naturae vox eſt*; ſique teſte S. Auguſtino (c), *ſine voluntate peccatum eſſe non poſſe, omnis mens apud ſe divinitus conſcriptum legit*, nullus equidem futurus

 erit

(a) Lib. II. *De Legibus* Cap V.
(b) Lib. I QQ. Tuſculan. Cap. XV.
(c) Lib. *De duabus animabus* n. 15. alias Cap. XI.

erit qui dubitet, *tunc eſſe peccatum, quum & velle injuſtum eſt, & liberum nolle* (a). Intimo demum ſenſu certiſſime conſtat, nos ita velle quod volumus, ut ipſi nos ad volendum determinemus. *Sentit animus ſe moveri*, inquit elegantiſſimus paulo ante memoratus Philoſophus Tullius, *quod quum ſentit, illud una ſentit, ſe vi ſua non aliena moveri* (b); utque praeclare habet Euſebius; *quomodo quum ſentiamus, noſtra nos appetitione moveri, non omnino amentiſſimum erit, ab exteriori quadam vi, quaſi animi expertes, moveri nos credere? Sic enim libera voluntate alia fugimus, alia ſequimur, ut quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire, non ratiocinando, ſed reipſa, comprehendimus; ita a noſtro ipſorum conſilio, aut ad fugiendum, aut ad ſequendum moveri nos profecto ſentiamus* (c). Itaque niſi velimus, in iis etiam falli nos poſſe, & falli reipſa, quae per ſenſum intimum nobis nota ſunt; ac proinde nemini eſſe certum, ſe cogitare & vivere; di-

cen-

(a) *Ibidem.*
(b) Lib. I. QQ. Tuſculan. Cap. XXIII.
(c) Lib. VI. *De Praeparation. Evangelica* Cap. VI.

cendum eſt, mentem noſtram ita ſuarum operationum eſſe dominam, ut agere & non agere, in illius ex aequo ſit poteſtate. Haec igitur in nobis libertas eſt, quam *qui nugatoriis ratiocinationibus*; ita egregie more ſuo S. Auguſtinus (a); *labefactare conantur, uſque adeo caeci ſunt, ut nec iſta ipſa quidem vana, atque ſacrilega, propria voluntate ſe dicere intelligant*.

SECTIO IV.

De humanae mentis memoria.

QUantum hominis mens in ſuis *intellectus* ac *voluntatis* viribus poſſit, hactenus viſum fuit; nunc de *memoria* dicendum ſupereſt. Ea eſt autem hujuſce facultatis praeſtantia, ut nihil utilius, nihilque ad eruditionem aptius atque commodius conlatum homini videatur. Parum equidem referret, multa a nobis diurna nocturnaque lectione comparari, ab aliis hominibus non pauca inter colloquendum auſcultare, eaque ſcite ab ingenio noſtro

 ani-

(a) Lib. *De. Quantitate Animae*, num. 80. alias Cap. XXXVI.

animadverti, niſi memoriae aeque ipſa mandare valeremus. Quid igitur haec perinde facultas in mente humana valeat, expendemus modo; ſi tamen prius ſit

DEFINITIO.

§. 270. *Memoria* ea vis animae dicitur, *qua independenter ab omni prorſus externorum organorum immutatione, praeteritae rei notitiam ita, quamprimum vult, mens ipſa reproducit, ut, rem eandem antea ab ſe fuiſſe cognitam, ſimul ſit conſcia.*

COROLLARIUM I.

§. 271. Igitur *memoria eas repetit rerum praeteritarum imagines, quae in phantaſiae penu conſervantur.* Neque enim alibi conſervari earundem rerum veſtigia poſſunt, quin aliqua vel minima mutatio in externis ſenſoriis tunc contingat, niſi in imaginatione exiſtere ſupponantur.

COROLLARIUM II.

§. 272. Ergo *rerum praeteritarum conſcientia, quae ad memoriam poſtulatur, in eadem imaginatione continetur.* Neque enim anima praeteritorum eſſet conſcia, niſi eorundem imagines in phantaſia ſervatas ipſa repeteret (§. 271.)

Co-

Corollarium III.

§. 273. Ergo *mens humana juncta corpori nequit praeteritae rei notitiam reproducere, niſi illa eadem in cerebro iterum excitetur motio, quae facta in eodem fuit, quum rem ipſam mens primo novit.* Enimvero memoria rerum praeteritarum imagines repetit in phantaſiae penu conſervatas (§. 271.) phantaſia vero non agit, niſi excitentur ea in cerebro veſtigia, que ex ſenſatione aliqua primo fuere relicta (§. 216.); veſtigia porro non excitantur, niſi ſpirituum animalium curſu & motione aliqua (§. 219.) Ergo &c.

Corollarium IV.

§. 274. Ergo *exercitio memoria augetur, plurimumque perficitur.* Quum enim per exercitium fiat habitus (§. 185.); ea proinde in cerebro ſaepe fit motio, qua iterata ſpirituum animalium actione & curſu, rerum praeteritarum imagines in phantaſia facillime producantur. Cerebri item fibrae eorundem ſpirituum ſaepius repetito impulſu, ita expeditae fiunt ad motionem iterum iterumque concipiendam, ut, ſola voluntatis accedente juſſione, eam illico arripiant.

Pro-

Propositio XXII.

Humanae mentis memoria a mechanica quadam fibrarum cerebri commotione ex priori rei notitia ab illis contracta ita dependet, ut illius vi ad nutum ſolius animae moveri deinde poſſint eodem modo, eodemque ordine, quo movebantur, quum rem praeteritam mens primo novit.

§. 275. *Demonſtratio I.* Mens humana, quandiu corpori juncta eſt, nequit praeteritae rei notitiam reproducere, niſi illa eadem in cerebro excitetur motio, quae facta in eodem fuit, quum rem ipſam mens primo novit (§. 273.); neceſſe eſt ad memoriam praeterea, ut rerum praeteritarum conſcientia (§. 272.), & imagines in phantaſiae penu conſerventur (§. 271.); neceſſe eſt demum, ut abſque ulla externorum ſenſoriorum immutatione, praeteritae rei notitiam quamprimum vult, mens ipſa reproducat (§. 270.): Atqui haec omnia contingere nequeunt, quin mechanica aliqua fibrarum in cerebro commotio fiat: Ergo &c.

Prob. min. Phantaſia in cerebro non agit, nec imagines in eo iterum pinguntur,

tur, niſi excitentur ea in cerebro veſtigia, quae ex ſenſatione aliqua primo fuere relicta (§. 216.); veſtigia autem non excitantur, niſi ſpirituum animalium curſu & motione aliqua (§. 219.): Atqui omnia haec ex cerebri mechaniſmo prodeunt; ut per ſe manifeſtum apparet: Ergo &c.

SECTIO V.

Quomodo commercium mentis cum corpore explicari debeat.

QUemadmodum, ut omnibus in confeſſo eſt, difficilius eſt veram invenire rationem, qua mutui commercii phaenomenon explicetur, quam abſurda ſyſtemata totis refellere viribus, ita minus difficile puto inpraeſentiarum aliquid de illo dicere, quod veroſimilius ſit, poſteaquam humanae mentis vires atque functiones in propatulo expoſitae fuere ac demonſtratae. Hujuſmodi itaque conſilio ductus eas praemittendas curavi, ut poſtmodum, quemadmodum fueram pollicitus, ad demonſtrationes conflandas continuo tranſirem. Sit igitur

Propositio XXIII.

Rerum ſenſibilium notiones in cerebro excitatae ex organorum ſenſoriorum immutatione phyſice animam ita determinant, ut earum mechaniſmo ideae percipiendae ſemper reſpondeant.

§. 276. *Demonſtratio I.* Ea phyſice ex organorum ſenſoriorum immutatione animam ad ideas percipiendas determinant, quae a phyſico eorundem mechaniſmo ita ortum habent, ut illi uni nonniſi referantur accepta: Atqui ejuſmodi ſunt rerum ſenſibilium notiones ex organorum ſenſoriorum immutatione excitatae: Ergo &c.

Prob. min. Phaenomenon mutui commercii, quod mentem inter atque corpus verſatur nulla ratione per cauſarum occaſionalium ſyſtema explicari poteſt (§. 124.); hoc ipſum praeterea harmoniae praeſtabilitae vi acceptum referri nequit (§. 148. §. 153. §. 155. §. *166*. §. *169*.): Ergo nonniſi phyſico mechaniſmo referri debet acceptum.

Prob. conſeq. Si res extra nos poſitae eas corporis noſtri partes, quas ſenſuum organa dicimus, ita afficiant, ut certa in illis

motio

motio ſiat, eaque ad cerebrum uſque propagetur, rerum earundem ſtatim in anima notio excitatur (§. 110. §. 113.): Atqui rejectis Occaſionaliſtarum & Harmoniſtarum ſyſtematibus hoc contingere nequit, niſi phyſico corporeorum ſenſoriorum in animam influxui totum tribuatur: Ergo &c.

Prob. min. Quodlibet phaenomenon a phyſica tantum virtute pendere dicendum procul dubio eſt, quod abſque ejus energia phaenomenon ipſum intelligi & explicari non poteſt: Atqui ita ſe habet phaenomenon motionum corporearum in animam: Ergo &c.

Prob. min. Phyſicae tantum energiae phaenomenon ipſum attribuendum eſt, ſi univerſae rerum ſenſibilium notiones ita iis motibus, qui in corpore fiunt alligatae ſint, ut penitus & omnimodis ab iiſdem dependeant: Atqui ita ſe res habet (§. 110. §. 111. §. 112. §. 113. §. 114. §. 115. §. 116.): Ergo abſque phyſica energia phaenomenon intelligi & explicari non poteſt.

Demonſtratio II. Soritica methodo: In percipiendis rerum ideis mens copulata corpori, vel a ſenſoriorum externorum immutatio-

tatione, vel ab imaginibus ita dependet, ut nihil in intellectu exiſtere valeat, quin prius per ſenſus quoquomodo tranſierit (§. 189.): Quae ita ſe habet mens, nihil ex ſemetipſa poteſt percipere, niſi ab aliqua ſenſibili idea determinetur (§. 198.): Quae ita determinari poſtulat, ſanguinis, ſpirituumque animalium ope & concurſu determinatur (§. 173. §. 175. §. 179.): Quae ſanguinis ſpirituumque animalium ope determinatur, phyſicis commotionibus in corpore vel in cerebro factis determinatur, ut per ſe liquet: Quae phyſicis commotionibus determinatur, ita univerſas rerum ſenſibilium notiones iiſdem motibus alligatas habet, ut omnimodis ab ipſis dependeat (§. 110. §. 111. §. 112. §. 113. §. 114. §. 115. §. 116.): Ergo a phyſica determinatione anima dependet. Ergo rerum ſenſibilium notiones in cerebro excitatae ex organorum ſenſoriorum immutatione phyſice animam ita determinant, ut eorum mechaniſmo ideae percipiendae ſemper reſpondeant.

PRO-

PROPOSITIO XXIV.

Anima rationalis, actione phyſica, determinat corpus, cui copulata eſt, ad motus voluntarios peragendos.

§. 277. *Demonſtratio I.* Determinatio corporis ad voluntarios motus peragendos effectus realis eſt, ut per ſe liquet: Ergo &c.

Prob. conſeq. Omnis effectus realis a ſua cauſa dependet; & ideo nullus eſſet effectus, ſi nulla fuiſſet cauſa (Part. I. §. 218.): Sed determinationis realis corporis ad voluntarios motus peragendos ita anima rationalis eſt cauſa, ut quaedam ipſius corporis partes ad illius nutum moveantur; tandiu perſeverent in motu, quandiu ipſa vult; atque a motu ceſſent, quamprimum ipſi libuerit (§. 117.): Ergo eadem ipſa cauſa realis eſt: Ergo actione reali & phyſica &c.

Demonſtratio II. Quemadmodum poſitis quibuſdam motibus in corpore certae excitantur affectiones in mente, ita viciſſim poſitis certis appetitionibus in anima, determinati quidam motus in corpore conſequuntur (§. 120.) Atqui commotiones in organis ſenſoriis factae ad rerum ſenſibilium notio-

notiones percipiendas animam phyſice determinant (§. 276.): Ergo & animae quoque appetitiones actione aeque phyſica determinant corpus ad voluntarios motus peragendos.

Prob. conſeq. Motus corporis ab anima voluntarii explicari poſſunt, vel per occaſionaliſtarum, vel per harmoniſtarum ſyſtema, vel denique per phyſicum animae in corpus influxum: Atqui nulla ſufficienti ratione per occaſionaliſtarum, nec non per harmoniſtarum ſyſtemata explicari valent (§. 124. §. 162. §. 163. §. 166.): Ergo quemadmodum commotiones in organis ſenſoriis factae ad rerum ſenſibilium notiones percipiendas animam phyſice determinant, ita animae quoque appetitiones actione aeque phyſica determinant corpus ad voluntarios motus peragendos; ac per illam iſti poſtulant explicari.

COROLLARIUM.

§. 278. Igitur *motus corporis voluntarii ab anima rationali phyſice dependent*. Ab eo enim *phyſice* dependent, a quo per phyſicam realemque actionem determinatur corpus, ut illos perficiat.

VOLUMINIS PRIMI FINIS.

INDEX
CAPITUM, SECTIONUM, ATQUE PROPOSITIONUM
QUAE IN HOC PRIORI METAPHYSICES VOLUMINE CONTINENTUR.

METAPHYSICES
PARS PRIMA.
ONTOLOGIA.
CAPUT I.

DE *Ente generatim inſpecto*. Pag. 21.
SECTIO I. *De Entis Natura*. 22.
PROPOSITIO I. *Unumquodque per id eſt Ens, per quod eſt id quod eſt*. 26.
SECTIO II. *De non Ente*. 27.
PROPOSITIO II. *Unumquodque per id non eſt Ens, per quod non eſt id quod eſt*. 29.
SECTIO III. *De Entium comparatione*. 30.
PROPOSITIO III. *Convenire plura ſimul poſſunt in ratione Entis; licet eadem diverſa in alia ratione inter ſe ſint, & nihil reale*

reale poſitivum ſit illis ex aequo commune. 31.

SECTIO IV. *De Entis amplitudine.* 33.

PROPOSITIO IV. *Attributum Entis eſt commune univocum Deo & Creaturis.* 37.

SECTIO V. *De Entis Affectionibus.* 39.

PROPOSITIO V. *Unumquodque per id eſt Verum, ac Bonum, per quod eſt Ens.* 48.

PROPOSITIO VI. *Unumquodque per id eſt Unum, & ab alio diſtinctum, per quod eſt Ens, Verum, Bonum.* 50.

SECTIO VI. *De Entium Poſſibilitate.* 52.

PROPOSITIO VII. *Sive logica, ſive Metaphyſica rerum poſſibilitas rebus ipſis intrinſeca eſt.* 64.

SECTIO VII. *De Entium neceſſitate & contingentia.* 68.

PROPOSITIO VIII. *Rerum eſſentia metaphyſice neceſſaria eſt, atque rebus ipſis intrinſeca.* 80.

PROPOSITIO IX. *Eſſentiae rerum, quae a ſupremo omnium Conditore factae ſunt, metaphyſice contingentes ſunt.* 82.

ON-

ONTOLOGIA.

CAPUT II.

De Ente peculiarius inſpecto. 86.
SECTIO I. *De Entis exiſtentia.* 87.
PROPOSITIO I. *Quod per ſuam eſſentiam exiſtit, neceſſario exiſtit.* 91.
PROPOSITIO II. *Exiſtentia eorum Entium, quae ab alio ſunt, ab eorundem eſſentia diſtinguitur.* 93.
SECTIO II. *De vario exiſtentiae genere.* 101.
PROPOSITIO III. *Exiſtit ſive Perſona, ſive ſuppoſitum per ſuammet exiſtentiam.* 130.
PROPOSITIO IV. *Omnis Subſtantia a Phyſico Accidente diſtinguitur.* 133.
PROPOSITIO V. *Omne, quod non exiſtit tanquam Subſtantia, Relativum eſt.* 135.
SECTIO III. *De Cauſarum Natura.* 140.
PROPOSITIO VI. *Quidquid exiſtens eſt, rationem habet cur exiſtat.* 162.
PROPOSITIO VII. *Quidquid ab alio exiſtens eſt, rationem aeque ab alio habet cur exiſtat.* 163.
PROPOSITIO VIII. *Quidquid ab alio exiſtens eſt, aut a Cauſa rei, aut a Cauſa cognitionis pendere ſolum neceſſe eſt.* 166.

SECTIO IV. *De Cauſarum viribus.* 173.
PROPOSITIO IX. *Cauſa efficiens illud per ſe reſpicit, cujus eſt Cauſa.* 200.
PROPOSITIO X. *Quae Cauſa per ſe & proprie non efficit, nihil agere dicenda eſt.* 202.
SECTIO V. *De Entis exiſtentia Simplici & Compoſita.* 205.
PROPOSITIO XI. *Nequit exiſtere Ens Compoſitum, quin vel exiſtat Ens Simplex; vel proceſſus in infinitum in iis admittatur, quae ipſum Ens intrinſecus conſtituunt.* 210.
PROPOSITIO XII. *Non habetur Ens Compoſitum, dum a ſe mutuo ſeparata exiſtunt ea, ex quibus ipſum Ens intrinſecus coaleſcit.* 210.
PROPOSITIO XIII. *Ens Compoſitum non eſt aliud reipſa ab iis omnibus ſimul ſumtis & unitis, ex quibus intrinſecus coaleſcit.* 211.
PROPOSITIO XIV. *Ens Compoſitum eſt aliud reipſa a quolibet eorum diviſim ſumto ab aliis, ex quibus intrinſecus conſurgit.* 213.
PROPOSITIO XV. *Ens Simplex non poteſt fieri, niſi ex nihilo ſui.* 213.
PROPOSITIO XVI. *Subſtantia Simplex non poteſt fieri, niſi per creationem.* 214.

PROPOSITIO XVII. *Ens Simplex perire nequit, niſi in ſui nihilum abeat.* 214.
PROPOSITIO XVIII. *Non poteſt perire ſubſtantia Simplex, niſi per annihilationem.* 214.
PROPOSITIO XIX. *Poteſt fieri Ens Compoſitum, quin fiat ex nihilo ſui.* 215.
PROPOSITIO XX. *Interire poteſt Ens Compoſitum, quin in ſui nihilum abeat.* 215.
PROPOSITIO XXI. *Poteſt fieri Ens Compoſitum, quin ulla prorſus abſoluta entitas ex nihilo ſui producatur.* 216.
PROPOSITIO XXII. *Poteſt deſtrui Ens Compoſitum, quin aliqua entitas abſoluta in ſui nihilum redigatur.* 217.

METAPHYSICES

PARS SECUNDA.

PSYCHOLOGIA.

CAPUT I.

DE *mentis humanae natura, ejuſque principio.* 220.
SECTIO I. *Quid non ſit mens humana.* 224.
PROPOSITIO I. *Mens humana non eſt ſub-*

 ſtan-

ſtantia in partes integrales reipſa diviſibilis. 246.

PROPOSITIO II. *Mentis humanae perceptio, judicium, ratiocinatio, volitio, & intima conſcientia aliquid ſunt omnino diverſum ab ea tenuiſſima, maximeque mobili ac vivida ſubſtantia, quae ex puriori ſanguine in cerebro elaboratur.* 252.

SECTIO II. *Quid ſit mens humana.* 256.

PROPOSITIO III. *Mens humana ſubſtantia ſpiritalis eſt.* 268.

SECTIO III. *De naturali Mentis humanae immortalitate.* 273.

PROPOSITIO IV. *Mens humana incorruptibili vita donatur.* 281.

PROPOSITIO V. *Mens humana intrinſecus, poſtquam corpore ſoluta eſt, immortalis exiſtit, aeternaque vita donatur.* 303.

SECTIO IV. *A quo ortum ducat mens humana.* 308.

PROPOSITIO VI. *Mens humana neque Deus eſt, tanquam ipſius particula corpori organico copulata; neque ſubſtantia aut anima mundi Spinoziſtica eſt, tanquam ejuſdem ſubſtantiae modificatio.* 317.

PROPOSITIO VII. *Mens humana ex parenti-*

tibus in filios per traducem non propagatur. 319.

PROPOSITIO VIII. *Anima rationalis, ſive mens humana repetita toties creatione producitur, quoties organicum humani foetus corpuſculum quodlibet ad ſufficientem illam partium evolutionem perventum fuerit, quae ad vitae munia recte obeunda neceſſario poſtulatur.* 329.

PSYCHOLOGIA.

CAPUT II.

DE *admirando humanae mentis cum corpore commercio.* 332.

SECTIO I. *De occaſionaliſtarum ſyſtemate in commercio mentis humanae cum corpore conciliando.* 334.

PROPOSITIO IX. *Phaenomenon mutui commercii, quod mentem inter atque corpus verſatur, nulla ratione per cauſarum occaſionalium ſyſtema explicari poteſt.* 344.

SECTIO II. *De Harmoniſtarum ſyſtemate in commercio corpus inter & animam mutuo explicando.* 356.

PROPOSITIO X. *Syſtema harmoniae praeſtabilitae ratione ſufficienti caret.* 369.

Propositio XI. *Syſtema harmoniae praeſtabilitae Idealiſmo patrocinatur, eique ſtabiliendo viam ſternit.* 376.

Propositio XII. *Syſtema harmoniae praeſtabilitae ad Theologicam trutinam revocatum ea caret ratione ſufficienti, ob cujus defectum ad ipſum reprobandum Theologus tota contentione debet permoveri* 377.

Propositio XIII. *Harmoniae praeſtabilitae ſyſtema ſcelera quaeque impune permittit.* 385.

PSYCHOLOGIA.

CAPUT III.

De *humanae mentis viribus, atque functionibus.* 390.

SECTIO I. *De intelligendi virtute ejuſque functionibus.* 391.

Propositio XIV. *Quodlibet verum intellectui percipiendi materiam praebere poteſt.* 407.

Propositio XV. *Mens humana nihil ex ſemetipſa poteſt percipere, niſi ab aliqua ſenſibili idea determinetur.* 413.

Propositio XVI. *Mens humana congenita ſibi*

ſibi vi nequit rerum ideas in ſe producere. 424.
PROPOSITIO XVII. *Humanae mentis imaginatio ejuſque virtus excitari nequit, niſi illa eadem in cerebro pingatur imago, quae facta in eodem fuit, quum rem ipſam mens primo novit.* 436.
SECTIO II. *De perpetua mentis humanae cogitatione.* 448.
PROPOSITIO XVIII. *Mens humana, quandiu corpori copulata eſt, perpetuo cogitat.* 450.
SECTIO III. *De humanae voluntatis facultate.* 454.
PROPOSITIO XIX. *Humana voluntas pro ſua natura felicitatem perpetuo & neceſſario appetit.* 472.
PROPOSITIO XX. *Humana voluntas in ſuas nequit deliberationes erumpere, niſi ab aliquo determinante excitetur.* 475.
PROPOSITIO XXI. *Humana voluntas in ſuis deliberationibus a neceſſitate immunis eſt & libera.* 476.
SECTIO IV. *De humanae mentis memoria.* 483.
PROPOSITIO XXII. *Humanae mentis memoria a mechanica quadam fibrarum cerebri com-*

commotione ex priori rei notitia ab illis contracta ita dependet, ut illius vi ad nutum ſolius animae moveri deinde poſſint eodem modo, eodemque ordine, quo movebantur, quum rem praeteritam mens primo novit. 486.

SECTIO V. *Quomodo commercium mentis cum corpore explicari debeat.* 487.

PROPOSITIO XXIII. *Rerum ſenſibilium notiones in cerebro excitatae ex organorum ſenſoriorum immutatione phyſice animam ita determinant, ut earum mechaniſmo ideae percipiendae ſemper reſpondeant.* 488.

PROPOSITIO XXIV. *Anima rationalis, actione phyſica, determinat corpus, cui copulata eſt, ad motus voluntarios peragendos.* 491.

	ERRATA	CORRIGE.
Pag. 18. v. 2.	*videor*	*videtur*
Pag. 38. v. 24.	§. 23.	§. 24.
Pag 70. v. 7.	Independens	Independentem
Pag 70. v. 26.	requiruntur	requiritur
Pag. 83. v. 12.	dictum a nobis fuit	dicta a nobis ſunt

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google